107

NAZ.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
101
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

~~Scanz. [illegible] N. 15 [illegible]~~

Scanzia [illegible] num. 2 libro 92 Ms.

Digitized by Google

APOPHTHEGMATA
EBRÆORVM
AC
ARABVM,

Ex Avoth R. Nathan, Ariſtea, Libro ſelectarum margaritarum, & aliis auctoribus collecta, Latineque reddita, cum brevibus Scholiis,

Per

I. DRVSIVM ALDENARDENSEM.

Editio altera melior & auctior.

NEAPOLIS BIBLIOTHEC. CAPUCCINORUM CONCEPTIONIS
BIB. NOV.

FRANEKERÆ,
Excudebat Ægidius Radæus,
Ordinum FRISIÆ Typographus.
M. DC. XII.

Digitized by Google

Iudæus is qui Arabica apophthegmata in Ebræum ſermonem convertit.

Non exiit verbum veritatis ex ore ſapientum hujus mundi, quod non innuitur in lege noſtra.

Sic ego,

Non exiit verbum veritatis ex ore ſapientum Iſrael, quod non quadrat cum lege noſtra, hoc eſt cum euangelio, ſive cum doctrina Chriſti & Apoſtolorum.

Digitized by Google

AD

CLARISS. AC PRVDENTISS.

VIRVM

THOMAM BODLÆVM

S. REG. ANG. LEGATVM,

EIVSDEMQ;

APVD ORD. BELGII

CONSILIARIVM

digniſſ.

NON ITA *diu eſt, præſtantiſſime* BODLÆE, *cum in opere Thalmudico quærerem tractatum, qui inſcribitur* AVOTH R. NATHAN: *in quem cum incidiſſem, nactus otium, quod natalitia feriæ nobis concedebant, cœpi eum à capite ad calcem, quod aiunt, evolvere ac quæ digna videbantur, nec offenſura pias aures in Latinum ſermonem transferre. Res adeò feliciter proceſſit, ut opinione citius ad finem pervenerim, adjutus (cur diffitear?) laboribus probiſſimi ac eruditiſſimi viri Pauli Fagii, qui capitula Patrum antea latinitate do-*

Digitized by Google

naverat. Continent autem ea capitula ſententias ſive apophthegmata ſapientum Ebræorum: quibus adjeci oracula, vel, ſi mavis, dicta Ben Siræ, qui creditur fuiſſe nepos Ieremiæ prophetæ, et alia pauca. Hoc agenti commodum in manus venit opus Ariſteæ de 72. Interpretibus, verſum a Matthia Garbitio. Id materiam præbuit libri ſecundi. Nam cum animus eſſet edere dicta ſapientum Ebræorum, non omittenda profecto fuerunt (quanquam ſuſpecta mihi) quæ interpretes illi gente Ebræi, ac viri ſapientiſsimi ad quæſita a Ptolemæo quondam reſponderunt. Ceterum hæc omnia damus fide Garbitij, cum non vacaret verſionē ejus cum Græco textu Ariſteæ conferre. Ad tertium librum delegi Apophthegmata ſapientum Arabiæ, & aliorum quorundam: quibus admiſcui nonnulla fortaſse aliena a titulo libri, ut ſunt inſcriptiones ſepulchrorum, et alia id genus. Quod ne putes a me temere

fa-

Digitized by Google

factum eſſe, ſcito admixta quoq; eadem fuiſſe apophthegmatibus in lib. ſelect. margaritarū, quem SEPHER MIBCHAR HAPPHENINIM vocant: unde hæc interpretatus ſum, labore utinam tam utili, quam is mihi difficilis fuit ac tædij plenus. Nam qui facile eſſe putat Arabicum ſtilum ad Latinam conſuetudinē inflectere traducereq;, næ is profecto ignorat quam parū ſubſidij nobis ad hanc rem ſuppetat. Pleraq; dicta ita retuli, ut videantur magis nudæ ſentētiæ eſſe, quam apophthegmata, nempe quia tædebat repetere toties Dicebat, aut Dicere ſolitus eſt. Quanquam ſi quis apophthegmata eſſe negaverit, non admodum repugnabo. Hoc magis ſpectavi ne quid admiſcerem, quod contrariam noſtræ fidei cōtineret ſentētiam. Volui etiam conſultum imprimis hiſce moribus. Nam ut nunc vivitur, talia valde neceſſaria ſunt. Dices, hæc melius multo diſci ex ſacris litteris. Fateor: ſed tamen in hoc vitiorū publico morbo

quid vetat etiã exotica remedia adhibere? Nam et varietas delectat, et gratiam conciliat divinis libris, quando videmus conſentanea his docuiſſe gentium ſapientes. Jam ad te venio, vir prudentiſſime, in cujus nomine hiſce meas vigilias exire in lucem ſum paſſus, nõ ideo ſolum, quia munere apud nos ampliſſimo fungeris; ſed potius quia te talem novi, cui & hoc meritiſſimo à R.M. delatum ſit, & alia inſuper majora excellenti tuæ doctrinæ egregijſque virtutibus debeantur. Præterea volui teſtimonium aliquod exſtare amoris mei erga te: ad quem maxima acceſſio facta eſt anno ſuperiore, cum me Hagæ adeo humaniter exciperes, ut etiam aureo annulo donares maximi pretij: in cujus pala incluſus chalcedonius exhibet inſignia familiæ tuæ. Accedit, quod eum annulum, ut apparet, ſignandi cauſſa habueris, hoc eſt, pro annulo ſigillari, quem Ebræi חותם *vocant: quo nihil eſſe ſolet hominibus aut carius aut*

pre-

Digitized by Google

pretioſius. Teſtes ſunt ipſæ literæ divinæ, quæ ſigilli loco ponere dicunt pro eo quod eſt chariſſimum habere & in ſummo pretio. Sit igitur hic liber cum teſtimonium judicii de te mei, tum pignus & quaſi arrhabo amoris, gratiq́ue animi ſempiternum, ſi modò hæc ſempiterna erunt, monimentum. Reliquum eſt ut te orem, primum ut hoc munus noſtrum benigne, quemadmodum ſoles mea omnia, ſuſcipias: deinde ut præclaram iſtam in nos voluntatem conſerves: poſtremo ut me tuearis adverſus malevolos. Nam ſcio incurſurū in nonnullorum reprehenſiones. Mihi ſatis, ſi tibi tuiq́ue ſimilibus probabor. Id ſi conſequar, gaudebo, & patiar de laboribus meis ab imperitiæ magiſtris & à tempore judicari. Vale, & D. Gilpino communi amico noſtro, ſpectatæ virtutis ac prudentiæ viro, niſi grave eſt, ſalutem. Kalend. Aug. M. D. XCI.

Digitized by Google

Paulus Fagius epiſtola ad Albertum Blaurerum & alios.

Inter Ebræorum ſapientes præcipui habentur, quorum nomina in eo libello quem Apophthegmata patrum nuncupant, magna cnm diligentia & ſtudio recenſentur. Eſt enim magna religio apud Iudæos non ſubticere nomen ejus, qui boni aliquid dixit, docuit aut ſcripſit. Horum itaque ſententiæ, apophthegmata aut ſcitè dicta, ne temporis injuria (ut gens Iudaica crebris exiliis adhuc hodie ſemper divexata fuit) memoria hominum exciderent, & ita prorſus interirent, centeſimo demum anno poſt deſolationem ſecundi templi in ſcripta redigi cœperunt. Ante hoc tempus enim fertur ab Ebræis ea memoriter docta & tradita fuiſſe.

Et aliquanto poſt

Quum verò in omnibus linguis jocundæ admodum & gratæ ſunt ſapientum breves ſententiæ, in lingua Ebræa eæ, meo judicio, gratiſsimæ eſſe debent, eo quod, quæ ex hac lingua proveniunt, ſingularem quandam ſpirare ſanctitatem videntur. Quod nimirum ab eo proficiſcitur, quod in ea primum omnium divina oracula, cœleſtiſque illa ſapientia hominibus commendata fuit. Vnde & Ebræorum ſapientum ſententiæ à profanis in hoc differunt, quòd non tantùm, quæ ad politicam, ſed theologicam vitam ſpectant pulchrè docent: puta fidem, timorem, crucem, voluntatem Dei, & id genus alia, ut ſanè eaſdem eſſe dicas cum parœmiis Salomonicis. Hinc tam crebra in illis fit mentio divinæ legis, per quam cœleſtem illam ſapientiam & cognitionem intelligunt.

Digitized by Google

Lib. 1.

Hic liber complectitur dicta ſapientum Ebræorum, qui vixerunt a reſtituta captivitate & deinceps: inter quos primus occurrit Zorobabel Salathielis filius, de quo ita proditum extat in tertio librorum Exræ, capite tertio.

ZOROBABEL.

Quodam tempore, cum Darius rex cubitum iviſset, 1.
ejus cubicularii, inter quos Zorobabel, ſe mutuo cohortabantur, ut quiſq; ſuam quandam ſententiam ſcriberet, ea lege ac conditione, ut qui viciſset, cujuſque ſententia quam aliorum ſapientior judicaretur, præmium a rege acciperet. Ibi Zorobabel, cum unus ſcripſiſſet, præpotens eſt vinum: & alter, præpotens eſt rex: ipſe ſcripſit, præpotentes ſunt mulieres, ſed vincit omnia veritas.

BEN SIRA,

Nepos, ut creditur Ieremiæ prophetæ.

Quum ad ludum itaret diſcendæ legis gratia, & præce- 1.
ptor diceret, nondum aptus es per ætatem ad diſcendam legem. Ain' tu? inquit. An neſcis diem brevem eſſe & opus multum? Quomodo ergo dicis me nondum aptum eſſe ad diſcendum legem? Quid? in ſepulchretis nonne humati jacent, qui me ætate minores ſunt?

Admonet in puerili ætate diſcenda imprimis ea quæ faciunt ad pietatem & ſalutem animæ.

Conſulenti an expediret repudiare uxorem, quam ma- 2.
lam haberet, reſpōdit, Os quod cecidit in parte tua, rodito.

Dicunt Ebræi, Qui malam uxorem non repudiat, eum non venire in judicium: nempe quia ſatis pœnarum ſu-

Digitized by Google

ſtinet in hac vita, neque enim majus tormentum homini obtingere poteſt mala uxore.

3. Ei qui uxorem ducere cupiebat ſeptem filias habentẽ, Chari tibi ſint, inquit, filii maſculi: ſed væ patri fœmellarum.

Idem plane cum dicto veterum ſapientum,

Beatus cui filii maſculi: ſed væ patri fœmellarum.

4. Glorianti filiam ſibi natam eſſe, Theſaurus vanus, inquit, eſt filia patri ſuo; cui dum timet, noctu non dormit.

5. Interroganti cauſſam hujus, dixit, Non dormit cuſtos filiæ parvulæ, veritus ne forte ſcortari aſſueſcat. Quod ſi eam elocaverit, tum ſolicitus eſt, ſitne liberos paritura necne. Iam vero ubi conſenuerit, metuit ne venefica fiat.

6. Cuidam cui uxor odio erat propter deformitatem occinuit, Propter mulierem formoſam multi perierunt, & validi omnes interfecti ab ea.

7. Quum vero idem aliam ducere vellet gratia & forma excellentem, dixit, Subtrahe carnem tuam a muliere gratioſa, potius quam a carne prunarum inſtar adurente.

8. Dicere ſolebat, Senex in domo, ſignum bonum in domo.

Nam ſenectus eſt argumentum favoris divini: tum etsiam anteacta vita ſapienter & ſecundum virtutem, juxta illud, Corona decora ſenectus, in via juſtitiæ invenietur. Dicunt etiam, Anus in domo ſignum bonum in domo.

Prov. 16. 30.

9. Dicebat quoque aurum egere percuſsionis, & puerum verberationis.

Nam ut aurum quo magis tunditur, eo magis fulget: ita puer quãto magis verberatur, tanto tractabilior evadit.

Huic attribuuntur & illa, quæ nunc ſubjiciam.

10. Res tuas, dum in vivis es, clam habeto, nec hæredibus

bus ante obitum largitor.

Theſaurum tuum uxori, utcunque ea bona ſit, ne 11.
patefacito.

Arcanum tuum uni ex mille, etiamſi plurimos habeas 12.
benivolentes, patefacito.

Uni ex mille, vult dicere, non niſi uni ex mille. Nam pauci ex multis ſilentio continere poſſunt, ſi quid eis commiſeris.

Ne cordi tuo mœrorem indito: mœror enim multos 13.
occidit.

Honora medicum priuſquam ejus indigeas. 14.

Væ malo, & væ iis qui ei adhæreſcunt. 15.

Alibi eſt, væ malo, & væ vicino ejus.

Sapiens nutu & ſtultus fuſte. 16.

Sub. caſtigandus eſt.

Qui honorat inimicum ſuum ſimilis eſt aſino. 17.

Bonum malo ne fac & malum tibi non eveniet. 18.

Ignis accenſus exurit multos frugum acervos. 19.

Menſa parata contentio tollitur. 20.

In veterem amicum ne eſto ingratus. 21.

Cum tibi fuerint ſexaginta conſiliarii, conſilium ani- 22.
mæ tuæ ne deſerito.

Negotiatio ſi propinqua fuerit, dominum alit: ſi lon- 23.
ginqua, dominum comedit.

Panem tuum mitte ſecus aquam & in aridam, eumque 24.
invenies in fine dierum.

Hoc dictum, ſicut pleraque iſta, explicatum antea a me fuit. Vide Proverbia mea ſacra.

Manum tuam a bono ne prohibeto: 25.

a bono, id eſt, a benefaciendo. At plerique omnes ingrati ſunt. Quid tum poſtea? Excelſi animi eſt ingratitudine hominum non deterreri a ſtudio benemerendi de omnib.

26. Vicino benefac, licet malus fuerit. Ita enim fieſ, ut, quo tempore in jus vocaberis, pro te teſtimonium dicat.

SYNAGOGA MAGNA.

Aut, viri ſynagoga magna: hoc eſt Ezras & ſocietas ejus; in qua Daniel cum ſociis, Nehemias, Zorobabel, Joſua, Saraja, Raalja, Mardochaus & alii uſque ad centum viginti: quibus nonnulli adnumerant Haggaum, Zachariam & Malachiam prophetas. Horum dicta celebrantur numero tria.

1. Iudica contanter.

In Ebraeo eſt ad verbum, Eſtote moram trahentes in judicio: nos ſenſum expreſsimus. Iudicia ne cito fiant: ſed habeant aliquam moram & cunctationem. Siquidem ut Publius ait, ad pœnitendum properat, qui cito judicat.

2. Conſtitue diſcentes multos.

Aut, diſcipulos multos. Cura ut ſint multi qui legem diſcant, hoc eſt, qui ſtudio ſapientiæ incumbant, qui literis divinis operam dent. hoc præceptum inprimis pertinet ad eos, qui in magiſtratu ſunt, quorum munus eſt talia curare. Quamobrem Eſaias eos appellat nutritios eccleſiæ.

3. Fac ſepem legi.

Sepis nomine intelligunt conſtitutiones ſapientum. Huc etiam accommodant, Qui diruit ſepem, eum mordebit coluber, ut ſenſus ſit, Qui majorum inſtituta violat, noxam inde feret. Alii dicunt Maſſora eſſe ſepem legis. Azai filius hoc dictum æmulatus eſt, inquiens, Fac ſepem verbis tuis.

SIMEON IUSTUS.

Simeon iſte vixit Alexandri ævo, ultimus virorum ſynagogæ magnæ; quem Petrus Galatinus perperam confundit cum eo, qui Chriſtum in ulnis geſtavit. Nam intervallum temporis nimis longum.

Dicebat

Dicebat tribus rebus conſiſtere mundum, Lege, Reli- 1.
gione, ac Beneficentia.

Religione) in Ebræo eſt cultu. ita κατ' ἐξοχὴν vocant cultum divinum. Beneficentia) vel remuneratione beneficiorum ſive gratitudine. Verba enim Ebræa utrunque deſignant. Hoc dicto illuſtrabis illud Michæ, Indicatum eſt tibi, ô homo, quid bonum, & quid Dominus requirat abs te, nempe facere judicium, & diligere benignitatem, & humiliter ambulare cum Deo tuo. Mich. 6. 8.

ANTIGONUS SOCHAEUS.

Vir Socho, hoc eſt Sochæus, aut oriundus Socho: quod eſt nomen urbis Ioſ. 15. 35.

Antigonus iſte cum videret homines pietatem colere 1.
non tam amore Dei, quam ſpe præmiorum, dicere ſolebat: Nolite eſſe ſicut ſervi, qui Domino ſerviunt mercedis ergô: potius eſtote ſicut ſervi, qui ſerviunt quidem domino, ſed non cauſſâ mercedis: ſitq; Dei metus ſuper vos, quo merces veſtra duplicetur futuro tempore.

Serviendum Deo quia ad hoc creati ſumus, etiamſi nulla præmia nobis propoſita forent. hujus Antigoni diſcipulus fuit Sadoc hæreſiarcha: unde Saducæi, qui negabant reſurrectionem, & per conſequẽs vitam æternã. Proinde judicabant miſeros eſſe Phariſæos, qui ſe ita affligerent in hoc ſeculo, cum in altero nihil pro eo accepturi eſſent.

IOSE IOAZARI F.

Princeps ſynedrii oriundus Sereda, quod eſt nomen loci. Sed vide num legendum ſit Serera, cujus mentio Iud. 7. 22.

Huic tribuitur illud,

Domus tua conventiculum ſapientum eſto. 1.

Conventiculũ. i. locus in quo frequẽtes conveniant. Aut lege, Sint domi tuæ conventicula ſapientum. Ejuſdẽ eſt,

2. In pulvere pedum eorum ſedeto, & verba eorum cum ſiti bibito.

q. d. ſedeto humi ad pedes ipſorum. Hoc vult, præbe te eis diſcipulum. Nam diſcipuli ſedebant ad pedes docentium. Unde Apoſtolus educatum ſe ait ad pedes Gamalielis, innuens ſe fuiſſe diſcipulum ipſius. Act. 22. 3.

* Alias Ioſe. IOSEPH* IOHANNIDES IEROSOLYMITANUS.

Pater erat domus judicii poſt Antigonum.

1. Domus tua plateam verſus patens eſto.

Mens hujus dicti, eſto hoſpitalis.

2. Pauperes domeſtici tui ſunto.

Sint domi tuæ tam frequentes, ac ſi domeſtici tui eſſēt. *Lectio varians*, ſint domeſtici tui mites.

3. Cum fœmina ne multum ſermonem habeto.

Vel, ne multum colloquitor. Urit enim videndo, nedum colloquendo fæmina.

IOSUA PHERACHIAE F.

Princeps erat & præceptor Ieſu, ut Iudæi ſcribunt. poteſt ita eſſe. Nam plures fuerūt hoc nomine. Sed præceptor Ieſu Nazareni eſſe non potuit. Nam repugnant tempora.

1. Fac ut habeas præceptorem.

aut magiſtrum. Hoc idem tribuitur Gamalieli.

2. Compara tibi ſocium.

i. amicum, vel potius condiſcipulū. In Avoth R. Nathan, habeto præceptorē a quo diſcas, et ſocium quicum diſcas. Cap. 22.

3. Iudica quemvis hominē ſecundum lancem æquitatis.

id eſt ex æquo & bono, nempe ut facta illius omnia in meliorem partem interpreteris, & ipſum prehendas ea anſa qua prehendi poteſt.

NITHAEUS ARBELITES.

Pater domus judicii.

1. Vicinum malum fugito.

Nam

Digitized by Google

Nam ex vicino malo plurimũ noxæ, ut cõtra ex bono plurimũ utilitatis provenit. Ideo Themiſtocles cum prædiũ venderet, juſſit præconem hoc addere, quod bonũ haberet vicinum. Notum illud Heſiodi πῆμα κακὸς γείτων.

Cum improbo ſocietatem ne coito. 2.

In adverſis ne diffidito, *aut deſperato. Dictum illud, vicinum malum fugito, etiam Ben Sira adſcribitur.* 3.

ISMAEL IOHANNIS F.

Veh improbo, & veh vicino ejus. 1.

Nam aliquid ſemper mali propter vicinum malum.

IUDAS TABAEI F. princeps.

Dum partes, inquit, litigantes ſunt coram te, ſontes putato: ubi diſceſſerint, pro inſontibus habeto, quoniam ſe ſtiterunt judicio. 1.

SIMEON SATAE F.

Pater domus judicii.

Multum examinato teſtes, & eſto cautus in verbis tuis: forte an ex illis diſcent mentiri.

Vult dicere, cautè interrogando deprehendes utrum verum an falſum dicant.

SEMEIAS.

Vel Semaja princeps. ejus collega fuit Abtaljon, pater domus judicii.

Opus diligito. *Libenter operator.* 1.

Doctoratum odio habeto. 2.

Vel magiſterium. q. d. magiſtri aut doctoris titulum ne ambito: imo ne accipito, etiamſi offeratur. Nam fere comitem habet faſtum & contemptionem aliorum. Erant autem hi gradus olim apud Judæos in frequenti uſu, tametſi lõge maximum fateantur eum eſſe, qui ſimplici nomine appellatur. Nam prudẽtiores ab his titulis abhorrebant ſuis contenti nominibus. Huc facit illud Chriſti

de-

Digitized by Google

de Phariſ aïs, Amãt vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi. Vos autem ne vocemini Rabbi. Vnus enim eſt doctor veſter, nempe Chriſtus. Matth. 23. 7.

3. Principi ne nimium innoteſcito,
Vel, ne nimium familiaris fias. Ad principes accedendum tanquam ad ignem, neque nimis prope ne comburaris, neque nimis procul ne frigeſcas.

HELLEL SENEX.

Hunc Ioſephus Pollionem appellat.

1. Hellel ſive Hillel is qui familiam duxit in gente Ebręa, cuidam roganti, Quot leges ſunt apud vos, ô ſenex? Duæ reſpõdit, una videlicet ſcripta, & altera ore tradita. Cumq; diceret ſe adduci non poſſe ut credat aliam eſſe legẽ pręter ſcriptam, ibi Hillel: Mi fili, inquit, ſede & ſcribe alphabetũ. Quod cum factũ ab eo eſſet, rogavit, Quęnã eſt hęc littera; Aleph, inquit: quænam illa, Beth. recte: ſed unde ſcis hanc litteram eſse Aleph & non Beth, illam verò eſse Beth & non Gimel? ad hæc ille, Quia majores mei me ita docuerunt. Tum Hellel, Si hoc credis, inquit, quia majores ita docuerunt, crede & legem eſse non ſcriptam, quæ ore tradita ſit, quam νόμον ἄγραφον vocant. Nam & hoc quoq; iidem docuerunt.

2. Cum ethnicus quidam cuperet ex eo cognoſcere ſummam legis. Lex noſtra, inquit, uno pede continetur, *Diliges proximum tuum tanquam teipſum.* Nam qui proximũ diligit, etiam Deum diligit. Vno pede, hoc eſt uno capite, quod vocant univerſale magnum. Vide Annotationes noſtras in N. T.

3. Viſo cranio, quod in aqua fluitabat, fertur dixiſse, Quoniam (*alios*) perdidiſti, te perdiderunt, & qui te perdiderunt, futurum eſt ut eos perditum eant alii.

4. Admonebat ſuos ut eſsent ex diſcipulis Aharonis, qui diligebat

Digitized by Google

diligebat pacem, ſectabatur pacem, amabat homines & *applicabat eos ad legem.

** hoc eſt, ad frugem reducebat. Quod de illo teſtatur Scriptura canonica his verbis, Lex veritatis in ore ejus, & iniquitas non fuit inventa in labiis ejus: in pace & rectitudine ambulavit mecum, & multos reduxit ab iniquitate.* Huic attribuuntur ſequentia.

Qui nomen propagat, nomen perdit. 5.

Nam gloria fugientem ſequitur, inſequentem fugit.

Qui non addit, amittit. 6.

Qui non perſeverat in ſtudiis, id quod didicit, cito amittit. Vel ſic, Qui doctrina inchoata nihil adjicit, cito id quod ſcit, amittit.

Qui non diſcit, vita indignus eſt. 7.

Imo vita ſine literis mors eſt, non vita.

Niſi ego mihi, quis mihi? & cum ego mihi, quid ego? 8.
& niſi nunc, quando?

Sententia eſt, Niſi ego mihi † conſuluero vitæ emendatione, quis mihi conſulet? & cum ego mihi ſic conſuluero, quis ego ſum? ut eo nomine multum gloriari poſſim, cum Deus in me id perficiat? Sed & niſi nunc, hoc eſt, in hac vita, quando? quaſi dicat, ſerum eſt alias, vel nunc quia neſcio an cras victurus ſim.

† Aut comparavero. ſapientiam.

Pro labore merces. 9.

Quo plus moleſtiæ aut laboris homo ſuſtinet propter juſtitiam, eo plus mercedis ipſum manet. poteſt reddi, pro dolore merces, aut pro vexatione merces. nam vox Ebræa hoc potius ſignificat.

Ab eccleſia ne ſejungitor. 10.

Noli te ſegregare ab eccleſia. Nam ut olim extra arcã qui erat, ſic extra eccleſiam qui nunc eſt, expers ſalutis eſt.

Ne dic, Cum otioſus ero, diſcam: forſan enim nun- 11.

quam eris otioſus.

12. Ante obitum ne tibi ipſe credito.

Nemo ſibi fidat ante obitum, Nemo enim novit quid pariturа ſit dies.

13. Socium tuum priuſquam ad locum ejus perveneris ne judicato.

Noli judicare ſocium tuum, priuſquam perveneris eo ubi ipſe eſt. Vult dicere, niſi ſortem eandem ſubieris, aut expertus fueris, quod ipſe expertus eſt, de eo pronunciare aut ſententiam ferre non debes.

14. Ne dic rem quæ non poſsit intelligi, quam velis intelligi.

Eſto in docēdo & ſcribēdo perſpicuus, ſic ut ab iis, quorum intereſt, intelligi poſsis, cum hac fini doceas & ſcribas.

15. Baro non metuit peccatum.

Hoc eſt pœnam peccati: vel peccare non veretur, quia Deum non veretur. Baro, id eſt homo ſtultus, qui nec in lege verſatus eſt, nec uſum habet rerum civilium.

16. Nec terræ populus pius eſt.

Terræ populum vocant homines rerum omnium ignaros & extreme imperitos. Porro ad pietatem requiritur ſcientia. Quæ ſi abfuerit, non jam pietas eſt, ſed ſuperſtitio. Hoc dictum ſicut & duo ſequentia, etiam Aquibæ tribuitur. Vide Avoth R. Nathan, cap. 25. Vel terræ populus, qui non eſt aptus ad diſcendum legem. Qui legem non diſcit male meretur de anima ſua, ac proinde non eſt pius, juxta illud Salomonis, Benefacit animæ ſuæ pius. Prov. 11. 16.

17. Nec verecundus diſcit.

Capiendum de nimium verecundo, qui præ pudore non audet conſulere aut interrogare præceptorem ſuum.

18. Nec iracundus docet.

Qui ad iram præceps ob res leviſsimas commovetur, ineptus

ineptus eſt ad docendum.

Quiſquis multum negociatur, non evadet ſapiens. 19.

Nam tales rem quærunt, non ſapientiam. Fagius legit, Quiſquis multum oberrat: minus probo. nam, ut eſt in ſententiis Græcis, πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον. Cui adſenſum præbet Seneca philoſophus, ita ſcribens: Nulla ars loco diſcitur. Quid ergo? Sapientia res omnium maxima in itinere colligitur. Extat quinetiam ſententia in Sirachide, quæ idem atteſtatur.

In loco ubi non ſunt viri, fac te virum præſtes. 20.

Vir nomen eſt ἀρετῆς, fortem & magnanimum ſignificans. Claſ. 2.
Unde Xerxes apud Tzetzem de Artemiſia, Οἱ μὲν ἄνδρες lib. 4.
μοι γυναῖκες ἐγένοντο· αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες. Conſule prover- Adag. 95.
bia noſtra.

Qui accumulat opes, accumulat curas. 21.

Nam ubi divitiæ, ibi curæ. Quod proverbio innotuit apud nos, cum dicimus, magna navis, magna cura. Epicuri eſt, ait Seneca, aut alicujus ex illa officina, Qui eget divitiis, timet pro illis. Ego dico, Qui habet divitias, timet pro illis. Nam in perpetuo metu eſt, ne eas amittat. Unde vulgo dicimus divitem meticuloſum eſſe.

Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. 22.

Qui curat cuticulam, et id dat operam ut pinguis & obeſus fiat, nihil aliud quam materiam ſibi conciliat, unde vermes oriantur. Sane quidem ex pingui cadavere plures vermes enaſcuntur, quam ex macilento.

Qui multos ſervos habet, multos fures habet. 23.

Nam pleriq; omnes fures ſunt. Eſt ergo dictum ut, nuſquã tuta fides? Tale eſt, Quot ſervi, tot hoſtes. Quod Capito apud Feſtum exiſtimat efferendum: Quot hoſtes, tot ſervi. Siquidem capti hoſtes in ſervitutem adigebãtur. Huc refer quod in libro præceptorum 33.4. Abſolute ſive ſimpliciter ſervi ſunt raptores, vel rapaces.

Digitized by Google

24. Quot ancillæ, tot ſcelera.

ad verbũ, Qui multiplicat ancillas, multiplicat ſcelus.

25. Qui multas habet uxores, multas habet veneficas.

Lib. 25. cap. 11. *Nam fœminarum ſcientia in veneficio prævalet, ut Plinius ſcribit. Certe pro uno viro quinquagenæ mulieres hac labe infectæ ſunt. Id accidit, quod fœmina nihil non moliatur, quo effectum det id, quod cupit, præſertim ſi pudicitiæ teſſeram ſemel fregerit. Vnde M. Catonem dixiſſe ferunt, nullam adulteram non eandem veneficam eſſe, quod violata pudicitiæ audacia ad quodvis ſcelus fœminas impelleret. Autor ad Herennium lib. 4. Maiores noſtri, ſi quam unius peccati mulierem damnabant, ſimplici iudicio multorum maleficiorum convictã putabant. Quo pacto? quoniam quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam exiſtimabant. Quid ita? Quia neceſſe eſt eam, quæ ſuum corpus addixerit turpiſſimæ cupiditati, timere permultos. Quos iſtos? virum, parentes, fratres, ceteros; ad quos videt ſui dedecoris infamiam pertinere. Quid poſtea? quos tantopere timeat, eos neceſſe eſt, ut quoquo modo poſſit, veneficio petat. Cur? quia nulla poteſt honeſta ratio retinere eam, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconſideratam.*

26. Qui multiplicat juſtitiam, multiplicat pacem.

Qui multam juſtitiam exercet, multam pacem civitatibus & regnis conciliat. Quid ita? quia ubi juſtitiæ numen colitur, ibi pax viget & rerum omnium proſperitas eſt.

27. Qui multiplicat legem, multiplicat vitam.

Qui in lege ſe naviter exercet, & ſecundum eam vivit, huic vitæ, quæ momentanea eſt, alteram, quæ ſempiterna eſt, adjiciet. Aut multiplicat vitam, quia in lege inſtitutus

inſtitatus ita ut oportet, non ſolum vivit, quod ei commune cum omnibus animantibus, ſed etiam jocunde vivit. Hanc vitam lex ſola conciliat, alteram natura. Dicunt etiam, Ut piſces non vivunt extra aquam: ſic homo non vivit abſque lege. Nam lex ei vita eſt, qua vivit anima ejus: quæ pars hominis potior & honoratior eſt.

Qui multiplicat ſcholas, multiplicat ſapientiam. 28.

Nam ſapientia in ſcholis diſcitur, non in tabernis aut circulis hominum otioſorum. Porro ſapientiam appellāt Ebræi, quicquid homo diſcit a præceptore ſuo, ut poſsis legere, multiplicat eruditionem.

Qui multum conſulit, multum ſapit. 29.

Qui ſæpe ac multum conſulit homines doctos, & ab uſu peritos, multam prudentiam ſibi comparat. In Ebræo reperies verbum e verbo, Qui multiplicat conſilium, multiplicat prudentiam. Quadrat autem cum illo Salomonis, Qui conſilium audit, ſapiens fit. Prov. 11.15.

Qui ſibi comparat verba legis, comparat vitam futuri 30. ſeculi.

Verba legis comparat, qui vivendo exprimit, quod in iis continetur.

Qui nomen bonum comparat, ſibi ipſi comparat. 31.

Ita Fagius reddit. Eſt cur malim, ſuis comparat. לעצמו *ſuis, hoc eſt uxori, liberis, & cognatis, juxta illud, Os,* Gen. 29. 14. *& caro mea eſt. nam* עצם *propriè os. Sic in libro ſelectarum ſententiarum* מעצמו *interpretes exponit* מקרוביו *à propinquis ſuis. Sententia eſt eum, qui famæ ſtudeat, non ſibi ſolum ſtudere, ſed etiam ſuis: nam ut infamia cujuſq; ad domeſticos et conſanguineos pertinet, ita etiam gloria.*

SAMAEUS SENEX.

Et hic familiam duxit, quæ dicta fuit domus Sammai;

 cujus

cuius meminit quodam in loco Hieronymus. Meminit & Iosephus Orig. Iudai. l. 14. c. 18. Vide Iuchaſin, 67. 1. Annales regum Iſrael 43. 3. Gorionidem 63. 4. Floruit cum Hellele principe ſyncarii fuitq; pater domus iudicii ſub Herode magno, hoc eſt paullo ante natum Chriſtum. hujus celebrantur præcipue iſta:

1. Loquere parum & fac multum.

Plurimum facere, minimum de ſeipſo loqui prudentioris eſt. Ilmed. 80. 1. Iuſti dicunt parum & faciunt multum. Contra improbi dicunt multum & ne parum quidem faciunt.

2. Excipe quemvis hominem bono vultu.

Hoc eſt ſereno ac placido. Amici paucorum, humani erga omnes eſſe debemus. Eſt enim humanitas quaſi quoddam condimentum actionum noſtrarum: quæ ſi abſit, quicquid facimus, minus gratum eſt.

3. Fac legem tuam fixam.

Fagius enarrat, habeto certum tempus quod impendas lectioni ſacrarum literarum. Nathan aliter, Quod audis aut diſcis à præceptore, ne illud vilipendito; ſed in pretio habeto & magni æſtimato: tum etiam eadem alios doceto. Commentator Ebræus, Ne dixeris hoc tempore diſcam, illo non diſcam, ſed meditare in ea interdiu ac noctu. aliter, fac ut habeas certum ac determinatum tempus ad diſcendum ne te turbent & impediant aliæ occupationes. Et dicit legem tuam, quod Dei legem noſtram facimus ſedulo ac diligenter ſcrutando eam. Sic in euangelio, in lege veſtra ſcriptum eſt.

RABBAN GAMLIEL nepos Hillelis.

Fac tibi præceptorem, & ſubduc te a dubio &c.

Nam præceptor dubia multa ſolvet, quæ ipſe per te nunquam ſolves.

SIMEON

Digitized by Google

SIMEON HILLELIS F.

Per omnem vitam educatus ſum inter ſapientes, & non inveni quicquam corpori melius ſilentio. 1.

melius, id eſt utilius. Sic Græci οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον: *utilior haud ulla eſt res ſilentio.*

Non ſermo fundamentum, ſed opus. 2.

Plus in negotiis gerendis res, quam verba proſunt. Malus doctor eſt, qui oratione tantum docet. debet qui aliis præcipit quomodo vivendum ſit, parem verbis vitam agere, atque ita vivere, ut omnis oratio moribus conſonet. Thucydides, πᾶς γὰρ λόγος, ἂν ἀπῇ τὰ ἔργα, μάταιόν τι γίνεται καὶ κενόν: *omnis ſermo, a quo abſunt opera, inane quid eſt ac vanum.* Hoc negare videtur Abenezra Exod. 31.18. *Non opus,* inquit, *eſt fundamentum, ſed cor. Itaque antiqui ſapientes noſtri dictitant, Miſericors cor requirit.*

Qui multum loquitur, adducit peccatum. 3.

Sumptum ex illo Salomonis, In multitudine verborum non deerit crimen. Prov. 10. 19.

RABBAN SIMEON GAMALIELIS F.

Dicebat tribus potiſsimum rebus mundum conſiſtere, veritate, judicio & pace. 4.

Simeon iſte pater erat Iudæ principis & filius Gamalielis illius, qui contentionem exercuit cum R. Ioſua.

GAMALIEL IVDAE PRINCIPIS F.

Dicebat ſtudium legis pulchrum eſſe cum via terræ conjunctum, hoc eſt, cum opificio aliquo. nam utrunq; ſi quis in utroq; laboret & ſe exerceat, adducere oblivionem peccati. 1.

Eidem adſcribitur hoc dictum, Lex omnis, quæ non habet adjunctam artem aliquam, tandem ceſſat noxam trahens. 2.

RIBBI.

RIBBI.

Sic abſolute vocatur Iuda princeps, qui & Rabbenu haccados, id eſt doctor noſter ſanctus. Vixit Antonini imperatoris tempore.

1. Iſta tria ſemper in mente habeto, & non peccabis, videlicet ſupra te eſſe oculum videntem, & aurem audientem, & librum in quo dicta facta tua omnia ſcribuntur.

2. Aeque cautus eſto in levi præcepto ac in gravi, quia neſcis quæ ſit merces eorum.

3. Fac voluntatem ejus ſicut voluntatem tuam, ut faciat voluntatem tuam ſicut voluntatem tuam. Irritam fac voluntatem tuam propter voluntatem ejus, ut ipſe irritam faciat voluntatem aliorum propter voluntatem tuam.

IOHANNES ZACHAEI F.

1. Hellel ſenex octoginta diſcipulos habebat, quorum maximus Ionathan Vzielis F. minimus omnium erat Iohannes Zachæi F. qui interfuit obſidioni Vrbis: unde pheretro tanquam mortuus elatus & ad Veſpaſianum, cujus partibus faverat, eductus, humaniter abs eo exceptus fuit. Is quum aliquando inter deambulandum videret deſtructum templum, in quo peccata populi expiari ſolerent priſco ritu, converſus ad eum, qui ipſum ſequebatur (is erat Ioſua Hananiæ F.) Mi fili, inquit, eſto bono ani-
Hoſ. 6.7. mo. Nam relicta nobis alia ratio expiandi peccata. Quærenti Ioſuæ quænam illa eſſet? Beneficentia, reſpondit: ſcriptum enim eſſe, Benignitatem volo [a] potius quam ſacrificium.

[a] verbũ e verbo, & non ſacrificiũ.

2. Idem interrogatus, quid eſſe putaret ſapientem, qui Deum non vereretur, dixit artificem eſſe abſque inſtrumentis. Nam quemadmodum hic arte ſua uti non poteſt, ſi neceſſariis inſtrumentis careat: ita nec ſapientia recte uti poteſt, qui nullum timorem Dei habeat. Eſt enim

ut

Digitized by Google

ut ait Salomo, Initium ſapientiæ timor Domini. Prov.7.1.

Cum jam moriturus voce ſublata fleret, & diſcipuli 3.
cauſam ejus rei quærerent, Si obviam, inquit, prodeundum eſſet regi alicui, quem offendiſſem, ſperarem poſſe ipſum aut verbis placari, aut pecunia corrumpi. Nunc obviam prodeo ei, qui eſt rex ſupra omnes reges, videlicet Deo benedicto; quem neque verbis placare, neq; donis corrumpere poteto: nec ſcio utrum in tartara ab eo ſim detrudendus, an vero in paradiſum deducendus.

Huic diſcipuli erant numero quinque, quibus hæc co- 4.
gnomina impoſuit. Eleazarum Hircani F. cognominabat ciſternam calce oblitam, quæ ne guttulam quidem perderet, & cantharum pice obductum, qui vinū optime contineret. Ioſuam vero Hananiæ F. nominabat funem triplicatum, qui non facile rumperetur. Ioſem ſacerdotem vocabat piiſsimum, qui in illo ævo. Iſmaelem Hananiæ F. nominabat vaſtitatem in deſerto aquam tenentem, Beatus diſcipulus cui præceptor ſuus teſtimonium dat. Eleazarum Erachi F. appellabat torrentem exundantem, & fontem, cujus aquæ ſcaturiendo magis ac magis invaleſcerent. Ab his percontabatur quid homini expetendum imprimis eſſe judicarent, cumq; primus dixiſſet oculum bonum, & alter ſocium bonum & tertius vicinum bonum, & quartus cognitionem futurorum, & quintus cor bonum erga præcepta, & cor bonum erga homines, reſpondit hoc poſtremum præ ceteris ſibi placere, quod reliquorum reſponſa omnia in ſe contineret.

Ab iiſdem ſciſcitabatur, quid homini fugiendum im- 5.
primis eſſe judicarent, cumq; eodem ordine quo ſupra reſpondiſſent 1. oculum malum, 2. ſocium malum, 3. oculum malum, vicinum malum & uxorem malam, 4. mutuum acceptum nec redditum, 5. cor malum erga Deum,

Digitized by Google

erga præcepta, erga homines. Video, inquit, in hoc ultimo reſponſo reliquorum omnium reſponſa comprehenſa eſse. Quare judico optime omnium reſpondiſse Eleazarum Erachi filium.

6. Idem dicere ſolebat, Si multam legem didiciſti, ne propterea bonum tibi adſcribito: es enim ad hoc creatus.

ELEAZARUS HIRCANI F.

In editione Cracovienſi eſt R. Elieſer.

1. Eleazarus iſte dicere ſolebat reſipiſcendum eſse die uno ante mortem. Cum autem diſcipuli ejus dicerent, Diem mortis incertum eſse, Ideo, inquit, hodie reſipiſcendum: nam forte cras moriemur.

Liber Muſar 15. 1. in extremo, Vt qui navigaturus in terra viaticum ſibi non parans, in mari nihil invenit: ſic qui non agit pœnitentiam dum in hac vita eſt. Nam ſerum eſt poſt mortem quando nullus locus eſt reſipiſcentiæ: unde dictitat, Non eſt reſipiſcentia poſt diem mortis. Vide ſis librum eundem 18. 1.

Eidem tribuitur & illud.

2. Socii gloriam perinde charam habeto ac tuam. Item,
3. Ne eſto facilis ad iraſcendum.

IOSUA HANANIAE F.

1. Malus oculus, mala cupiditas & odium hominum educunt hominem e mundo.

Malus oculus] invidia. In fonte eſt, oculus mali: quem differri ajunt ab oculo malo, ut illo ſignificetur faſcinatio, juxta illud,

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Ea fit cum lædimus alios aſpectu, ſic ut ſcandalum eis præbeamus. Mala cupiditas] innata homini concupiſcentia, in vitium prona. Hominum) creaturarum.

IOSE

Digitized by Google

IOSE SACERDOS.

Proximi rem perinde charam habeto ac tuam. 1.

Applica te ad diſcendum legem: non enim hereditario 2.
jure tibi obtinget.

Quicquid agas propter Deum agas. 3.

Vel in nomine Dei, ut conveniat cum illo Salomonis, In omnibus viis tuis noſce illum, & ipſe diriget ſemitas tuas. Ceterum quia hypocritæ Dei *nomen ſemper in ore habent, factum eſt hinc vulgi proverbium, quo dicunt in nomine Domini omne malum fieri.*

*SIMEON NATHANAELIS F.

* Pro eo eſt R. Tarphon in edit. Cracovienſi.

Dies brevis, & opus multum, & operarii pigri, & mer- 1.
ces multa, & paterfamilias urget.

Multa lex, multa merces. 2.

Si multa præcepta legis obſervaveris, multam mercedem reportabis, quia Deus fidelis rependet unicuique ſecundum facta ſua.

Merces juſtorum in futuro ſeculo. 3.

ACABIA MALALEELIS. F.

Interroganti quid faciendo evitabo hoc ne peccem? Si 1.
hæc[a] quatuor, inquit, perpetuo in animo habueris: Vnde
veneris, quo abiturus ſis, quid futurus ſis; & quem judi
cem habiturus ſis. Vnde veniſti? ex guttula fœtida. Quo
abiturus es? ad locum obſcurum & tenebricoſum. Quid
futurus es? pulvis, vermis, & lumbricus. Iudicem quem
habiturus es? Deum ſanctum benedictum, qui eſt rex ſu-
pra omnes reges.

S. Bernardus paulo aliter, Iſta tria, inq. ſemper in mẽte habeto, Quid fuiſti? Quid es? Quid eris? Quid fuiſti? ſperma fœtidũ. Quid es? vas ſtercoreũ. Quid eris? eſca vermiũ.

[a] Tria tãtum recẽ ſentur in Phefictha 16 2. ubi & alludi, Memento creatoris tui: quod alii legunt ciſternæ tuæ, alii, putei tui, id eſt ſepulchri,

Accidit aliquãdo ut inter docẽdum recordaretur facta 2.
a ſe in juventute. Ibi oratione ad Deum cõverſus, Gratias

Sapit pharisaiſmum. tibi ago, inquit, Domine mi Deus, quod poſueris ſortem meam cum iis, qui ſedent in ſcholis & gymnaſiis, & non cum iis, qui ſedent in circulis hominum otioſorum.

R. HANANIA vicarius pontificis,

Eſto precans pro pace regni. Niſi enim eſſet metus regni alter alterum vivum devoraret.

Regni] id extendunt ad regna gentium & nationum mundi, pro quibus etiam orandum eſſe docent.

HANINA THERADIONIS F.

1. Vbi duo ſunt, qui de lege colloquuntur, ibi divinitas eſt inter eos.

NEHUNIA HACCANAE F.

1. Qui jugum legis ſubit, is immunis redditur a jugo regni, tum etiam a jugo viæ terræ: contra qui legis jugum a cervicibus ſuis repellit, huic imponunt jugum regni & jugum viæ terræ.

A jugo regni) non ſervit hominibus, qui Deo ſervit. A jugo viæ terræ) liberatur ſolicitudine de quærendo victu. Quadrat cum illo Christi, Quærite primum regnum Dei, & alia omnia vobis adjicientur.

Interrogatus quomodo dies produxiſſet, reſpondit non accepi honorem cum dedecore ſocii mei, non aſcendit maledictio ſocii mei mecum, prodigus fui pecuniæ meæ. Iuch. 64. 2.

HANNA DOSAE F.

1. Qui plus ſapit & minus facit, ejus ſapiētia firma non eſt: qui vero minus ſapit & plus facit, ejus ſapientia firma eſt.

2. Qui ſapit ante metum de peccato, ejus ſapientia non eſt ſtabilis. Qui vero ſapit poſt metum de peccato, ejus ſapientia eſt ſtabilis.

poſt metum) vult dicere, qui prius metuit Deum, juxta illud, Initium ſapientiæ timor Domini.

ELEAZAR

ELEAZAR IUDAE F.

Da ei de ſuo, quoniam tu & tua omnia illius ſunt. 1.

Hinc priſca illa formula oblationum in eccleſia Græca τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν προσφέρομεν σοι κύριε. Salvianus adverſus avaritiam, pag. 26. ut datis ſuis illum honores, a quo data ipſa acceperis.

HANINA.

Excipe quemvis hominem cum gaudio. 1.

Idem cum illo, Excipe quemvis hominem bono vultu.

R. SAMSON.

Ne dic te ſcire quod neſcis. Nam ſi videbunt homines te gloriari de ſapientia quæ in te nulla eſt, etiam ei quæ in te eſt non credent, atque ita contemptui eris.

ELEAZAR AZARIAE F.

Conſpiciens Iohannem Zachæi F. amiſſo filio lugentem, Vt, inquit, ſi aliquis pignus, quod apud te depoſuiſſet, repeteret, non lugeres: ita nec debes amiſſum filium lugere, quem idem abſtulit, qui dedit. 1.

Nam liberi quaſi pignora ſunt, quæ accepimus a Deo, ac proinde jure repetere poteſt, cum vult: recteq. Ambroſ. de obitu fratris, Qui depoſuit pignus recepit. Nihil intereſt utrum abjures depoſitum, an doleas reſtitutum. In utroque enim fidei ambiguum, vitæ periculum eſt.

Hujus hæc celebrantur;

Vbi non eſt lex, ibi non eſt via terræ. 2.

Vbi non eſt via terræ, ibi non eſt lex. 3.

Via terræ, id eſt, vita civilis. Dicunt etiam, Bona eſt lex cum via terræ: hoc eſt cum opificio aliquo, unde victum ſibi paret. Sic R. Ioſe pellio ſive coriarius erat: R. Iochanan ſutor ſive calceolarius: Apoſtolus noſter confector tabernaculorum.

Vbi non eſt ſapientia, ibi non eſt reverentia. 4.

5. Vbi non eſt reverentia, ibi non eſt ſapientia.

Reverentia) nam Deum vereri ipſa eſt ſapientia.

6. Vbi non eſt prudentia, ibi non eſt ſcientia.

7. Vbi non eſt ſcientia, ibi non eſt prudentia.

Prudentia) vel intelligentia. Nam בינה *in fonte. Hoc dictum explicat Ioſeph Albo Sortenſis Hiſpanus in libro fundamentorum fidei.*

8. Vbi non eſt farina, ibi non eſt lex.

Legi vacare non poteſt, cui deſunt ad victum neceſſaria.

AQUIBA.

Qui & R. Aquiba pater omnis traditionis non ſcriptæ. Filius fuit Ioſeph ex filiis filiorum Siſaræ: unde proſelytus juſtitiæ vocatur. præceptorem habuit Gamzu ita vocatum quia ſemper ei in ore Gamzu letova: etiam hoc in bonũ.

Hujus illud eſt πολυθρύλλητον.

* Vel Maſſora: & ſepes legis φραγμὸς τοῦ νόμου. Nam coercet licentiã correctorum.

1. Maſſoreth * ſepes eſt legis.

Item illa quæ ſequuntur.

2. Divitiarum ſepes decimæ.

Reſpexit, ut apparet, ad ea verba, quæ habentur Pro. 3. 9. Honora Dominum de opibus tuis, & de primitiis omnium proventuum tuorum. Et implebuntur horrea tua ſaturitate, & muſto torcularia tua exundabunt.

3. Vota ſepes ſanctimoniæ.

Hoc eſt vita ſancta ac pia. Nam vota continẽt homines in officio, eiſq; aurem ſubinde vellicant & admonent ne faciãt, quod alioqui facerẽt, niſi voviſſent. hoc ipſum legitur in Avoth R. Nathan, Sepes votorũ ſanctimonia vitæ.

4. Silentium ſepes ſapientiæ.

Nam etiam ſtultus, dum ſilet, pro ſapiente habetur.

5. Sepes manſuetudinis timere peccatum.

Vel metus peccati. Nam qui peccare metuit, etiam Deum metuit, juxta illud, Domini metus eſt recedere a malo.

Porro

Digitized by Google

Porro qui Deum metuit, ſimul manſuetus eſt.

Sepes gloriæ riſus. 6.

Gloria dicitur ſplendor ille divitum ac fortunatorum, quem imprimis tuētur hilaritas et lubentia conviviorū.

Nihil non cernitur. 7.

Deus omnia ſpeculatur & cernit.

Et poteſtas data eſt, & in bono mundus judicatur: cuncta autem ſecundum multitudinem operis.

Omnia data ſunt in pignus, 8.

Pignora ſunt quæ accipimus a Deo, ac proinde auferre poteſt, qui dedit. Ita dico, qui depoſuit pignus, recipere poteſt, cum vult, juxta illud, Dominus dedit, Dominus abſtulit. Iob.1.21.

Multa didici a præceptoribus meis, plura a ſociis meis: 9. ſed a diſcipulis meis plura quam a reliquis omnibus.

Fac habitationē tuam arenā & ne indigeto hominibus. 10.

Quod fit e cœlo in bonum, *ſub. cedit: & e cœlo, hoc eſt a* 11. *Deo. Sic adjuvant eum e cœlo,* id eſt divinitus. Vide Iucha. fol. 35.

BEN ZOMA.

Ita vocabatur antequam promotus eſſet: poſt dictus fuit R. Simeon filius Zomæ. Iuch. 65. 5.

Quis ſapiens? qui diſcit abs quovis homine. 1.

Quis fortis? qui domat affectus ſuos. 2.

Vel qui regit cupiditates ſuas. alibi eſt, Quis fortis? qui ex inimico amicum facit. Huc refer, Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit Oppida.

Quis dives? qui gaudet parte ſua. 3.

Latine, qui contentus eſt ſorte ſua. Bias apud Auſonium. Quis dives? qui nihil cupiat. Quis pauper? avarus. Cicer. Contentū ſuis reb' eſſe, maxima ſunt certiſſimaq; divitiæ.

Quis honoratus? qui honorat alios. 4.

Ama, inquit ille, ut ameris: ſic ego, honora ut honoreris.

ELEAZAR

ELEAZAR IACOBI F.

1. Qui legem diſcit in pueritia, cui ſimilis eſt? ei qui ſcribit in charta nova. Qui vero legem diſcit in ſenectute, cui ſimilis eſt? ei qui ſcribit in charta vetere.

Alibi eſt, Qui puer diſcit, cui ſimilis eſt? atramento ſcripto in charta nova. Qui vero ſenex diſcit, cui ſimilis eſt? atramento ſcripto in charta bibula. Quod Elizæ Abujæ filio adſcribitur.

2. Pœnitentia & opera bona pro clypeo ſunt contra ultionem divinam.

Nos tuentur ac protegunt, ut clypeus in bello militem.

AZAEI FILIUS.

Poſt promotionem dictus eſt R. Simeon filius Azai. Iucha. 66. 1.

1. Curre ad mandatum leve tanquam ad grave, & fuge peccatum: nam mādatum trahit mandatum, & peccatum trahit peccatum. Siquidem merces mandati eſt mandatum, & merces peccati eſt peccatum.

2. Neminem contemnito: nemo enim eſt cui non ſit hora (ſua.)

Vult dicere, qui non poſsit nocere per occaſionem.

3. Nulli rei contradicito: nulla enim eſt res, cui non ſit locus (ſuus.)

Videtur hoc velle, nihil eſt, quod non ſuo loco & tempore accidat, licet incredibile videatur propter raritatem.

Vide Prov. 25. 5. & Iacob. 3. 2.

4. Sede infra locum tuum: melius enim eſt ut tibi dicatur Aſcende, quam ſi diceretur Deſcende.

5. Vita non vita[a] eſt, ubi quis pendet a menſa ſocii ſui, aut quando uxoris imperio regitur. Quidam addunt, vel quando caſtigationes dominantur in corpus ejus.

[a] id eſt vita miſera.

NATHAN IOSEPHI F.

1. Qui legem obſervat propter inopiam, futurum eſt ut eam

eam obſervet propter divitias: qui vero legem negligit propter divitias, futurum eſt ut eam negligat propter inopiam.

Hoc dictum Iohanni cuidam tribuitur apud Fagium.

SIMEON ELEAZARI F.

Si dixerint ſenes deſtrue, & juvenes extrue, fac quod ſenes dicunt. Nam eorum deſtructio eſt exſtructio & juvenum extructio eſt deſtructio.

IOHANNES CALCEOLARIUS.

Eum cœtum qui in nomine Dei fieret, dicebat confir- 1.
matum iri: qui vero in nomine Dei non fieret, diſſolutum iri.

Extat dictum Gamalielis eandem ſententiam exprimens, Actor. 5. 38. Si eſt ex hominibus opus hoc, diſſolvetur: ſin ex Deo eſt, non poteritis diſſolvere.

R. ELEAZAR QUI ET ELEAZARUS SIVE LAZARUS.

Hunc ferunt Hannæ cuidam ſapienti reſpondiſſe, cum 2.
ille dixiſſet, Veni, & docebo te opus de Mercava, Nondũ, inquit, ſenui: quin adhuc in me fervorem corporis, & naturæ levitatem juvenilem invenio.

Opus de Mercava) thronum gloriæ geſtant apud Prophetam quatuor imagines: eas vocarunt ſapientes מֶרְכָּבָה *id eſt quadrigam: unde opus de Mercava. Significat autem, ut Moſes Aegyptius autor eſt, perfectionem ſapientiæ ſpiritualis, ſive apprehenſionem creatoris.*

ELEAZAR SAMUAE F.

Diſcipuli honorem perinde charum habeto ac tuum. 1.
Ita reveretor præceptorem tuum ut Deum. 2.

Ad verbum, Sit timor præceptoris tui ſicut timor cœli, id eſt Dei. Licet etiam vertere, Sit timor principis tui. Nam vox Ebræa Rab ad utrumque ambigua eſt.

Digitized by Google

MATTHIAS HARASI F.

1. Prior ſaluta quemvis hominem.

2. Eſto cauda leonum, & non caput vulpium.

Potius eſto poſtremus inter homines generoſos, quam primus inter callidos & verſipelles.

ALEXANDER HIRCANI F.

1. Hic plebi admodum inviſus erat. Quodam ergo tempore quærenti ex ſuis, quidnam faciens animos ſibi plebis conciliaret, reſponſum eſt, Si moreretur.

Ioſephus Ant. hiſt. lib. 13. cap. 21.

IUDAS SARIPHAEI F. ET MATTHIAS MARGALOTHI.

1. Hi duo vixerunt ſub Herode magno, qui contra legem patriam Cæſaris imaginem & quorundam animalium ſimilitudines templo appoſuerat. Cum ergo auream aquilam ſupra faſtigium portæ affixam detraxiſſent, atque ad regem perducti eſſent, interrogati, cui obedientes tantum facinus adorſi forent, reſponderunt, Legi paternæ. Iterum quærenti, quo freti lætiores adeſſent, cum ad mortis vocarentur periculum, reſponderunt: Pietatis & devotionis præmiis, quorum remuneratio pro ritu patrio mortem expetentibus perſolveretur.

IESUS DEI ET MARIAE F.

Mors erit quãdiu mulieres parient.

Quum Salome interrogaret eum Quouſque vigebit mors? reſpondiſſe fertur: Quouſque vos mulieres parere ceſſabitis. Ortum enim neceſſario ſequitur interitus.

Sumptum videtur ex euangelio ſecundum Ægyptios. Vide Clementem Strom. lib. 3. pag. 208.

AGRIPPA REX.

Accidit aliquando ut quidam legiſperitus abſentem criminaretur ut impurum & arcendum templi aditu. Id ubi præfectus urbi ei ſignificaſſet per litteras, confeſtim accerſivit hominem ad ſe: a quo forte repertus in theatro, aſsidere

aſsidere illum ſibi juſsit, moxque ſedata voce ac placide, Dic mihi quæſo, inquit, quid tibi non probetur ex his quæ facimus? Qui cum nihil haberet quod diceret, deprecatus eſt veniam. Tunc opinione citius ei culpam condonavit, clementiam magis quam iram decere regibus exiſtimans, & lenitatem potius quam celſitudinem. itaq; dimiſit eum non ſine munere.

R. IACOB.

Præpara te in veſtibulo, ut poſsis ingredi conclave. 1.

Ita vive in hoc ſeculo, ut particeps fias felicitatis, quæ promiſſa piis in altero ſeculo.

Potior eſt una hora hujus ſeculi cum pœnitentia & bonis operibus, quam tota vita ſeculi futuri. Rurſum potior eſt una hora refrigerii in ſeculo futuro, quam tota vita ſeculi præſentis. 2.

R. ELEAZAR HACCAPHAR

Dilige redarguenté te ut augeatur ſapientia tua: odi eum qui te laudat ne minuatur ſapientia tua. Lib. Muſar 136. 1. 1.

SIMEON ELEAZARI F.

Dicebat non eſſe placandum ſocium eo tempore quo iraſcitur: nec conſolandum quamdiu mortuus ejus jacet coram eo: nec interrogandum quando votum fecit: nec inviſendum ab eo qui in calamitate eſt. 1.

Qui in calamitate eſt) ſumptũ ex illo Salomonis Prov. 17. 10. *Domum fratris tui ne ingrediaris in die calamitatis tuæ.*

IOSE IUDAE F.

Qui a junioribus diſcit, cui ſimilis eſt? ei qui edit uvas immaturas, & bibit vinum e torculari ſuo. Qui vero a ſenioribus diſcit, cui ſimilis eſt? ei qui edit uvas maturas, & bibit vinum vetus. Ribbi ait, Ne reſpice cantharum, ſed id quod in eo eſt: nam aliquando cantharus novus refertus 1.

Digitized by Google

tus eſt vino veteri, aliquando vetus ne novum quidem vinum continet.

ISMAEL IOHANNIS F.

1. Qui diſcit ut doceat, huic abunde ſuppeditatur quod diſcat & doceat: qui vero diſcit ut faciat, ei affatim ſuppeditatur quod diſcat, doceat, cuſtodiat & faciat.

R. IANAI.

1. Non ſunt in manu noſtra neque caſus adverſi, qui juſtis accidunt; neq; res ſecundæ, quæ improbis obveniunt.

Quaſi dicat, hæc omnia a Deo ſunt, ac juſto ipſius accidunt judicio. Quare non debemus ex talibus quemquam judicare. Nam eſt juſtus, qui perit propter juſtitiã ſuam; & eſt improbus, qui vitam prorogat in improbitate ſua.

ELEAZARUS CAPHARITA.

1. Qui honorat ſocium ſuum propter divitias, futurum eſt ut ab eo diſcedat cum ignominia: qui vero deſpicit ſocium ſuum propter mandatum, futurum eſt ut ab eo diſcedat cum gloria.

Prioris membri exemplum præbet Balaam cum a Balaco conduceretur ad maledicendum populo Dei: poſterioris Moſes, cum Pharaonis minas contemneret propter mandatum Dei.

2. Invidia, concupiſcentia & ambitio educunt hominem e mundo.

IOSE KISMAE F.

1. Pollicenti multa aureorum millia, ſi apud ſe commorari vellet, Etiamſi mihi dederis, inquit, omne aurum & argentum quod in mundo, non commorabor niſi ubi lex viget.

QVAE SEQVVNTVR SINE AVCTORE CITATA INVENIMVS.

1. Sapientes vexantur, & neminem vexant; audiunt convicia

vicia, & non reſpondent.

Vexantur) vel, ſi placet, injuriam ferunt, non inferunt.

Quatuor genera hominum non veniunt in judicium. 2.
Qui extreme inopes ſunt, Qui colicum dolorem patiuntur, Qui ære alieno oppreſsi ſunt. Qui cum malam uxorem habeant, non tamen eam repudiant.

Non veniunt in judicium) Cur? quia ſatis malorum ſufferunt in hac vita. In Iuchaſin 47. 2. Tria non vident faciem Gehennæ, extrema paupertas, morbus viſcerum, id eſt colica paſsio, & poteſtas vel debitum. vult dicere, qui magiſtratu aliquo funguntur, aut obærati ſunt.

Veh principatui, qui ſepelit dominos ſuos. 3.

Intelligentiã habet ex illo, Propter peccata populi multi principes ejus. Prov. 28. 2.

In tribus homo cognoſcitur, in poculo, loculis & ira. 4.
Ebraice ſonat elegantius בכוס בכיס בכעס: *ἐν τῷ ποτηρίῳ, ἐν τῷ μαρσυπίῳ, ἐν τῷ θυμῷ, ἤτοι ἐν τῇ ὀργῇ.*

Venit ut ſe mundet, adjuvant eum. 5.

Alibi eſt, adjuvatur e cælo, id eſt divinitus:

Venit ut ſe polluat, aperiunt ei. 6.

Sufficit ſervo, ut ſit tanquam Dominus ſuus. 7.

Septem proprietates ſunt in ſapiente. Non loquitur 8.
præſente eo qui major eſt vel ſapientiã vel dignitate. Non interpellat loquentem. Non præcipitanter reſpondet. Audit & addit doctrinam. Interrogat quæ ad rem faciunt. Reſpondet appoſite & convenienter, videlicet ad primum primo loco & ad ſecundum ſecundo. De eo quod non audivit, dicit non audivi & fatetur quod res eſt. Ceterum hæc omnia ſecus ſe habent in ſtulto.

Eos amicos dicebat eſſe amandos qui nos reprehenderẽt, & odio habẽdos qui nos laudarent; quod hi nos edu- 9.

cant e mundo, illi vero nos deducant in vitã futuri ſeculi.

10. Quatuor hominum conditiones. Vnus dicit, Quod meum eſt, tuum eſt: & quod tuum eſt, meum eſt. talis eſt populus terræ. Alius dicit, Quod meum eſt, meum eſt: & quod tuum eſt, tuum eſt. hæc conditio mediocris eſt, quam Sodomitanam nonnulli vocant. Tertius dicit, Quod meum eſt, tuum eſt: & quod tuum eſt, tuum eſt. hic pius eſt. Quartus dicit, Quod tuum eſt meũ eſt; & quod meum eſt, meum eſt. talis impius eſt.

11. Aſſuefac linguam tuam ut ſemper dicat neſcio: quod auro & argento contra non carum.

12. Eſt qui facile iraſcitur, & facile placatur. hic quod ex una parte amittit, ex altera lucratur. Eſt qui difficulter iraſcitur, & difficulter placatur. hic quod ex una parte lucratur, ex altera amittit. Eſt qui difficulter iraſcitur, & facile placatur. hic pius audit. Eſt qui facile iraſcitur, & difficulter placatur, talis impius eſt.

13. Quatuor conditiones diſcentiũ. Vnus cito percipit, & cito obliviſcitur. hic lucrum quod in una parte facit, in altera amittit. Alius difficulter percipit, & difficulter obliviſcitur. hic lucrum quod in una parte amittit, in altera facit. Tertius cito percipit, & difficulter obliviſcitur. hujus conditio optima eſt. Quartus difficulter percipit, & cito obliviſcitur. hujus conditio peſsima eſt.

14. Quatuor conditiones dantium eleemoſynam. Eſt qui libenter dat, nec tamen vult ut alii dent. hic reſtrictus eſt in alieno. Eſt qui vult ut alii dent, cum ipſe nihil det. hic reſtrictus eſt in ſuo. Eſt qui dat, & vult ut alii dent. is pius eſt. Eſt qui non dat, nec vult ut alii dent. hic impius eſt.

15. Quatuor conditiones intrantium domum doctrinæ. Eſt qui intrat, nec facit. hic mercedem duntaxat pro acceſſu accipit. Eſt qui facit, nec intrat. hic pro opere præ-

mium

Digitized by Google

mium accipit. Eſt rurſum qui intrat, & facit. hic pius eſt. Et denique qui nec intrat, nec facit. hic impius eſt.

In his qui ſedent ante ſapientes hæc quatuor inveniuntur, natura ſpongiæ, infundibuli, ſacci fecem conſervantis & vanni. Spongia attrahit omnia. Infundibulum, quod ab una parte attraxit, ab altera rurſum effundit. Saccus fecium effundit vinum & retinet feces. Vannus ſive ventilabrum excutit aceres, & retinet frumentum. 16.

Omnis amor qui pendet ab aliqua re, ceſſante ea re ilico ceſſat: qui vero non pendet ab aliqua re, nunquam ceſſat. Quis amor qui pēdet ab aliqua re? Amor Amnonis & Thamaris. Quis amor a nulla re pendet? Amor Davidis & Ionathæ. 17.

Omnis cōtentio quę Dei cauſſa ſuſcipitur, futura eſt ſtabilis ac diuturna: quę vero alia cauſa ſuſcipitur, non futura eſt ſtabilis ac diuturna. Quę contentio Dei cauſa ſuſcepta fuit? contētio Hillelis & Samai. Quæ contentio alia cauſa ſuſcepta fuit? Contentio Coræ & univerſi cœtus ipſius. 18.

Si quid agere voles, dic, Deo volente, aut ſi Deus decernet: alias nunquam ſuccedet quod ages. 19.

Dicunt mundum vaſtari ob hæc tria, Vexationem piorum, perverſitatem judicii & malam doctrinam. *ſenſus eſt, propterea quod impii pios vexent, judices jus pervertant, & ſacerdotes legem non recte doceant. Aut malam doctrinam, hoc eſt hæreſin.* 20.

Ajunt quoque apud Deum tanti eſse ſenem unum juſtum, ut propter eum orbi mala non importet. 21.

Cui hæc tria adſunt, oculus bonus, ſpiritus contritus & animus dejectus, eum dicunt eſse ex diſcipulis Abrahami patris noſtri: contra cui adſunt, oculus malus, ſpiritus elatus, & animus amplus, eum eſse ajunt ex diſcipulis Balaami impii. 22.

Oculus

Digitized by Google

Oculus bonus) oculum bonum habere dicitur, qui contentus eſt ſorte ſua, quam αὐτάρκειαν Græci vocant. Huic *opponitur oculus malus, id eſt, avaritia vel invidia. Animus amplus) cupidus gloriæ aut ambitioſus: adverb. anima lata ſive ampla. Maimonides hunc locum enarrans, Oculus malus, inquit, eſt ſolicitudo circa divitias. Anima vero lata eſt nimia cupiditas. ita ille: alii aliter enarrant. Eſt etiam ubi ſcriptum ſit* נפש קצרה*. id eſt, animus ad iram pronus.*

23. Natus quinque annos ad Scripturam,
Natus decem annos ad Deuteroſin.
Natus 15. annos ad Thalmud,
Natus 18. annos ad nuptias.
Natus 20. annos ad ſectandum divitias.
Natus 30. annos ad robur.
Natus 40. annos ad prudentiam.
Natus 50. annos ad conſilium.
Natus 60. annos ad ſenectutem.
Natus 70. annos ad canitiem.
Natus 80. annos ad † ſummum.
Natus 90. annos ad foveam.
Natus 100. annos reputatur pro mortuo.

† *ad ſummũ) reſpexerunt ad locum Davidis. Pſal. 90. 10. Dies annorũ noſtrorum ſeptuaginta anni, aut ad ſummum octoginta. In Ebræo eſt* ואם בגבורות שמנים שנה *id eſt, interprete Hieronymo, Si autem multum, octoginta anni.*

24. Licet panem cum ſale comedas, vinum menſurâ bibas & humi dormias, ſi modo in lege te exercueris, beatus tamen es & bene tibi erit: beatus es in hoc ſeculo, & bene tibi erit in futuro.

Huic ſimile eſt dictum Epicuri, cujus mentio apud Senecam,

Senecam, quo dicebat ſapienti, qui modo panem et aquam haberet, nihil deeſſe ad felicitatem.

Iudæus quidam, cujus nomen proditum non extat, cum ei Coſroes Perſarum rex objiceret paupertatem, ac diceret, contemptionem nihil boni Iudæis reliquiſſe, reſpondit, Tu nos aſpernaris, ô Rex, propterea, in quibus tamen gloriati ſunt primores & q, capita gentium. Quandoquidem & *Nazareni gloriantur plurimum de illo, qui dixit: Si quis percutiat maxillam tuam dexteram, obverte ei ſiniſtram, & auferenti abs te tunicam tuam, permitte illi & pallium tuum. Cujuſmodi difficultates centenas & ille ipſe, & qui conſuetudine ei conjuncti, eumq; ſecuti fuerunt, perpeſsi ſunt: contemptum videlicet, ſupplicia, & mortem ipſam, &c. 25.

* id eſt Chriſtiani.

Additamenta in libro primo.

Curre ad præceptum leve, ut te adducat ad præceptum grave: vita peccatum leve, ne te adducat ad peccatū grave. 26.

Quidam pius, cum videret pauperes ante oſtium domus ſuæ, dicebat uxori, miſerere horum ut homines miſereantur filiorum tuorum, cum indigebunt iis. Cui uxor, Cur aperis os Satan ei? & ille, Rota eſt quæ redit in mundo. 27.

Innuit vices rerum eſſe. Sic eſt profecto: Omnium rerū viciſsitudo eſt. Qui hodie dives eſt, cras pauper fit & cōtra.

Ama pauperes ne filii tui fiant pauperes. Ama manſuetudinem ut impleas dies tuos. 28.

Si beneféceris multum, ſit in oculis tuis ac ſi parū eſſet: & ſi malefeceris parum, eo loco tibi ſit ac ſi multum eſset, 29.

Vbi facillime ſpectatur homo quum ingenio eſt bono? Quoi male faciundi eſt poteſtas qui ne faciat id temperat. 30.

Vſus omnium rerum dominus. 31.

32. Qui cuſtodivit patres cuſtodiet etiam filios.

33. Abnegatio iniquitatis duplex iniquitas.

34. Intrat vinum, exit ſecretum.

35. Macula quæ in te ne afficias ſocium tuum.

36. Tria frangunt decretum judicii, vociferatio, eleemoſyna, mutatio morum in melius.

37. Omnia ſunt in manu cœli præter timorem cœli.

Vel, præterquā timor cœli. Timor cœli ſive Dei eſt pietas. Hoc vult, Omnia reguntur ab aſtris excepta pietate. Nam in manu cœli, hoc eſt aſtrorum. Sic dictitant, Non a merito res pendet, ſed a cœlo, hoc eſt ab aſtris. Scire licet ex iis qui ſapientes audiebant apud Iſraelitas etiam fuiſſe mathematicos aſtrologiæ divinatrici & judiciariæ plus æquo addictos. Hi credebant omnia regi ab aſtris, quam opinionem eccleſia merito explo-ſit. Nam impia eſt. Quin ipſi Ebræi melius opinantes dicunt non eſſe planetam Iſraeli.

38. Lucerna parva melior ad ſcrutandum aliquid in foraminibus & rimis fiſſuriſve quam fax aut luminare magnum.

39. Otium adducit hominem ad ſcelus.

40. Da decimas ut dives fias.

41. Quicquid accidit patribus ſignum eſt filiis.

42. Amor & odium pervertunt jus.

Aut judicium. In fonte ad verbum eſt lineam.

43. Qui liberis caret pro mortuo habetur.

44. In loco ubi ſtant pœnitentes non poſſunt ſtare perfecte juſti.

45. In tribus cognoſcitur homo, in poculo ſuo, in ſacculo ſuo, in ira ſua.

Hoc ſupra produximus

Quidam addunt quartum, & in riſu ſuo, juxta illud,

Per

Per riſum multum poteris cognoſcere ſtultum. Iuch. 79. 2. apoph. 4. ſed minus plene.

Quicumque fugit dominatum, ut Saul, dominatus perſequitur eum: quicumque perſequitur dominatum, ut Abſalom, dominatus fugit eum. Liber Muſar 114. 1. 46.

Quinque genera hominum ferre nequit ſcientia. Pauperem ſuperbum. 2. Senem adulterum. 3. Divitem furem. 4. Rectorem qui ſuperbe ſe gerit ac inſolenter effert contra congregationem. 5. Maritum qui expellit uxorem ſuam bis terve & poſtea reducit eam. 47.

Sex ſunt quorum fructus comeditur in hoc ſeculo & ſors manet in futuro ſeculo. 1. Hoſpitalitas. 2. Viſitatio ægroti. 3. Precatio diligens. 4. Itio matutina ad ſcholam vel gymnaſium. 5. Educatio filiorum ad doctrinam legis. 6. * æquitas in judicando. 48.

** Verbum e verbo, Quum homo judicat ſocium ſuum lance æqua.*

Ama eum qui te redarguit, ut augeatur ſapientia tua; odio habeto eum qui te laudat, ne minuatur ſapientia tua. 49.

Dictum hoc tribuunt cuidam Eleazaro, quem Haccaphar cognominant. Reponamus ergo aliud, quod ſine autore citatum invenimus.

Ne doleas ob id quod eventurum eſt antequam ei evenerit: ſufficit ærumna in hora ſua. ex lib. Muſar.

Vinum intrat, ſapientia exit.

Nam vinum aufert cor, ut ait Prophetes Hoſeas. Paullo aliter Salomo, Qui amat vinum non erit ſapiens. 50.

Quænam illa ſectio a qua pendent omnia corpora legis? In omnibus viis tuis noſce illum & ipſe diriget ſemitas tuas. 51.

52. Non eſt littera in lege, a qua non pendent magni montes.

53. Super quem requieſcit ſpiritus hominum, ſuper eum requieſcit etiam ſpiritus Dei.

Quadrat cum illo, Qui amatur infra, amatur ſupra. Cui cognatum, Qui amat alterum, amat Deum, & contra.

54. Pharmacum rerum omnium taciturnitas.

In libro ſelectorum apophthegmatum, Silentium eſt reſina & medicamen omnis plagæ.

55. Veritas pedes habet ad ſtandum, mendacium non habet pedes ad ſtandum.

56. Hæc eſt pœna mentientis ut quum verum loquitur non [a]audiant eum.

[a] non credant ei.

57. Aemulatio doctorum auget ſapientiam.

Doctorum] ad verb. ſcribarum.

58. Vt petra quum percutitur malleo in multas partes diſſilit, ita verbum Dei quum rite itaque ut oportet excutitur varios habet ſenſus.

Finis libri primi.

APOPHTHEGMATVM
Lib. II.

Liber ſecundus continet apophthegmata Ebræorum interpretum, qui ab Eleazaro pontifice in Ægyptum miſſi fuerunt ad regem Ptolomæum: quorum nomina apud Ariſteam hoc ordine commemorantur.

Ex prima tribu:
Ioſephus, Ezecias, Zacharias, Iohannes, Ezecias, Eliſæus.
Ex ſecunda tribu:
Iudas, Simon, Samuelus, Adæus, Matthathias, Eſchlemias.
Ex tertia tribu:
Nehemias, Ioſephus, Theodoſius, Baſæus, Ornias, Dares.
Ex quarta tribu:
Ionathas, Abræus, Eliſæus, Hananias, Chabrias, Satus.
Ex quinta tribu:
Iſacus, Iacobus, Ieſus, Sabbatæus, Simon, Levis.
Ex ſexta tribu:
Iudas, Ioſephus, Simon, Zacharias, Samuelus, Selemas.
Ex ſeptima tribu:
Sabbatæus, Sedecias, Iacobus, Iſacus, Ieſias, Natthæus.
Ex octava tribu:
Theodoſius, Iaſon, Ieſus, Theodotus, Iohannes, Ionathas.
Ex nona tribu:
Theophilus, Abramus, Arſamus, Endemias, Iaſon, Danielus.
Ex decima tribu:
Ieremias, Arſamus, Iaſon, Endemias, Eleazarus, Dathæus.
Ex undecima tribu.
Samuelus, Ioſephus, Iudas, Ionathas, Chaber, Doſitheus.
Ex duodecima tribu:
Iſaelus, Iohannes, Theodoſius, Arſamus, Abietes, Ezecielus.

Hæc omnia ficta videntur: certe mihi ſuſpecta ſunt. Nã apud Euſeb. hiſtoriæ eccleſ. l. 7. c. 29. memoratur quidã Ariſtobulus, & in hiſtoria Ebraica Eleazarus: qui fuerint ex ſeptuaginta duobus interpretibus. Quorum poſterior ſub Antiocho religionis cauſa occiſus fuit.

Digitized by Google

[a] Sic emẽdavimus. Prius erat ſex & quatuor: cujus me admonuit V. R. Iohannes Matthiſi⁹ Antverp.

Hi omnes fuerunt numero duo & ſeptuaginta: quibus, ſimulac adveniſſent, rex lautum & opiparum [a] ſeptem dierum convivium præparari curavit: & deinde, [a] quinque prioribus diebus; undenis poſterioribus duobus quæſtionem vel de felici regni gubernatione, vel de vitæ præclare inſtituendæ ratione propoſuit, in hunc qui ſequitur modum.

Primi diei convivium.

Sedentibus illis ordine ſecundum ætatem, eum qui primũ locũ in ſeſsione habebat, interrogavit: QVOMODO regnum ad finem uſque retinuerit extra lapſum & offen-
1. ſionem? Ad quod ille paullulum cunctatus, reſpondit: Si in tota tua gubernatione imitatus fueris æquitatem & manſuetudinem Dei. Nam dum ita indignos quidẽ proſequeris manſuetudine & longanimitate, dignos vero (quemadmodum par eſt) tractabis honorificentius et mitius, illos etiam de ſua improbitate detrudes, et perduces ad pœnitentiam ejus.

2. Hoc collaudato, proximum interrogabat: QVOMODO quodque inſtituat et agat? Ille reſpondit: Ita ipſum ſingula recte acturum: ſi quod juſtum eſt erga omnes conſervet, ex eo quod ſtatuat omnem cogitationem ſuam Deo notam eſse: et in primis, ſi cum timore Dei actiones ſuas inchoet, in nulla earum interruptum et parum commodũ proceſsum habiturum.

Hoc etiam admodum benigne audito, ſequentem in-
3. terrogabat: QVOMODO poſset nanciſci et retinere ſibi animis conſentientes amicos? Cui ille: Si illi viderint te magnam curam habere illorum cœtuum, quibus præſis: tu vero ita hoc facies, ſi conſiderabis, quomodo Deus juvet genus humanum, qui valetudinem ipſis, alimenta, victum, et alia omnia præparat temporibus ſuis.

4. Suffragatus et huic, ſequentem interrogabat: QVOMODO in jure dicendo, et judiciorum ſententiis ferendis poſsit

poſsit laudem & approbationem aſsequi apud illos etiam qui non ſint ſui cõpotes facti voti? Ille dixit: Si omnib. te prębueris ſermone ęquabilem, & nihil neq; ſuperbe, neq; pro tua potentia egeris contra delinquentes. Hoc autem ita facies, ſi Dei obſervabis adminiſtrationem & conſtitutionẽ, qui dignis perficit vota ipſorũ: quos aũt non vult participes fieri ſuorum votorum, illis aut per inſomnia, aut factis & actionibus ipſis oſtẽdit, ipſorũ vota eſſe noxia: neque eos vel pro ipſorum delictis, vel pro ſuæ potentiæ magnitudine affligit, ſed æquitate erga illos utitur.

Et hunc ſuis laudib. proſecutus, interrogabat eum qui ſequebatur: QVOMODO in rebus bellicis poſset eſſe invictus? Ille dixit: Si neq; in multitudine, neq; in potentia & viribus fiduciã tuam collocaveris: ſed Deũ ſemper invocaveris, ut tibi juſte oĩa agenti conatus & cõſilia dirigat tua. 5.

Cum hunc etiam approbaſſet, interrogabat aliũ: QVOMODO exiſtat hoſtib. formidoloſus? Ille dixit: Si & armorum & potentiæ multo apparatu inſtructus fueris, & hæc longiore tempore detinueris ad negocii finitionem, compoſitionemque, quaſi inania extra omnem rei aggreſsionem. Etenim & Deus utitur dilatione, & ita per declarationem potentię ſuę omnium animis incutit terrorem. 6.

Hoc etiam collaudato, ad ſequentem dixit: QVID ſibi ad vitam degendam poſsit eſſe optimum? Ille ait: Hoc cognitum habere & ſtatuere, Deum univerſorum dominari: noſque etiam in illis, quæ nobis maxime ſunt glorioſæ actiones, non dirigere conſilia noſtra, ſed Deum omnia perficere & gubernare pro ſua potentia. 7.

Comprobata & hujus ſententia, interrogabat alium: QVOMODO & ipſe poſset omnia conſervare & tueri integra & ſalva, & tandem eundem rerum ſuarum ſtatum poſteris etiam tradere ad perpetuitatem quandã? Ille dixit: 8.

Digitized by Google

Orando aſsidue Deum, ut bona de rebus agendis capias conſilia: & monendo liberos, ne efferantur dignitate & opibus, neve putent ſe ista habere ex ſe, ſed ſciant Deum ea largiri.

Suffragatus & huic ſententiæ, ex ſequente percontabatur: 9. QUOMODO quoſvis eventus moderate ferat? Ille inquit: Si tibi perſuaſeris, homines ita creatos a Deo, ut & malorum & bonorum maximorum in vita fiant participes: nec inveniri hominem, qui ſit hujus viciſsitudinis expers: Deum verò contribuere animum æquum, pro quo ille ſit orandus.

Hoc etiam benigne & cum approbatione audito, dixit, Omnes præclare reſpondere: ſed interrogato adhuc uno tantum, velle in præſens deſiſtere, ut converſis ad lætitiam & oblectationem liceat hilaribus eſſe; ſequẽtibus vero ſex dieb. velle etiã ex reliquis aliquid addiſcere. Deinde quæ-
10. ſivit ex proximo: QUIS finis eſſet fortitudinis? Ille reſpõdit: Si quod in rebus arduis & periculoſis fuerit recte deliberatum & conſtitutum, id etiam ita pro animi ſententia expediatur. Sed tibi, ô Rex, a Deo præclare omnia perficiuntur, qui recta & ſalutaria habes propoſita. Acclamantibus omnibus adhæc, & applauſu ſuam approbationem declarantibus, rex ad philoſophos, qui non pauci aderant, dixit: Ego arbitror iſtos homines excellere virtute, & præ aliis eſſe intelligentes, qui ex tempore ad hujuſmodi quæſtiones ita apte reſpondent, omnes a Deo ſermonis ſui initium capientes.

Tum Menedemus philoſophus Eretrienſis: Recte ſane, inquit, rex. Nam cum a Deo omnia gubernentur, & recte hoc ſtatuamus, hominem eſſe Dei creaturam: conſentaneum eſt, ut ii omnes ſui ſermonis vim & rectitudinem a Deo principaliter petant. Hic cum rex innuiſſet, ipſe deſiit

Digitized by Google

deſiit de his verba facere: ac deinde converſi ſunt ad hilaritatem convivii, quod ad veſperam demum eſt ſolutum.

Poſtridie rurſum eodem modo & ordine, & convivium erat apparatum, & ſinguli diſcumbebant: ibi rex, cum viſum eſſet commodũ interrogare aliquid ex illis viris, qui ſequebantur eos, qui pridie reſponderunt ad interrogata, cœpit cum undecimo colloqui, quia decẽ die priori erant interrogati, ac ſilentio facto, quærebat: QVA ratione dives permanere poſſet? Tum, qui interrogatus erat, paululum moratus, dixit: Si nihil præter regni dignitatem & per luxum egeris, ſique ſumptus nullos in inania & inutilia impenderis: tuos vero ſubditos ſtudueris beneficiis tuis perducere in benevolentiam erga te. Nam Deus eſt ſumme beneficus, & omnium bonorũ cauſa: quẽ imitari oportet. *Secundi diei convivium.* 11.

Collaudato hoc, rex alterum interrogabat: QVOMODO veritatem diligere & colere poſſet? Ille reſpondit: Si primum ſtatueris, magnum dedecus eſſe omnibus hominibus mentiri, multo vero magis regibus: qui cum habeãt poteſtatem agendi quæ velint, cur mentiantur? Deinde ſi hoc etiam conſideraveris Deum eſſe veritatis amatorem. 12.

Hoc etiam valde approbato, converſis oculis in ſequentem, dixit ad eum: QVAE eſſet doctrina, & qui fructus ſapientiæ: Ille reſpondit: Quemadmodum tu mala quidem recuſas habere, bonis vero omnibus abũdare cupis, ſapiẽter egeris, ſi ſimiliter affectũ te erga ſubditos & delinquẽtes exhibueris, honeſtos vero & probos viros humanius & animo æquiori monueris. Nam Deus etiam in ſua adminiſtratione omnes homines æquitate proſequitur. 13.

Collaudato hoc, ad ſequentem dixit: QVA ratione poſſet eſſe humanus? Ille reſpondit: Si conſideraveris, quam longo tempore, & in quantis miſeriis genus humanum naſcatur & creſcat: quodq; ideo nec facile punire oportet, 14.

Digitized by Google

neque accuſare alios, ex hac cogitatione, quia vita humana per ſe obnoxia ſit doloribus & afflictionibus. Ex horum enim diligenti conſideratione inclinaberis ad miſericordiam: & eo magis, ſi Deum etiam cogitabis eſſe miſericordem.

15. Approbato & hoc, proximum interrogavit: QUI mores in regia adminiſtratione eſſent inprimis neceſſarii? Ille dixit: Ut quis ſe ſervet immunem ab omnium munerum corruptione: ut ſit ſobrius majori vitæ tempore: ut juſticiam omnibus rebus præferat, & ejus amatores amplectatur ſingulari benevolentia: quia & Deus amat juſtos.

16. Hoc etiam ſuis laudibus ornato, ad alterum dixit: IN quo conſiſteret pietas? Ille: In eo, inquit, ut perſuaſum habeas, Deum omnia in omnib. agere & ſcire, neq; ipſum latere quicquam quod homo vel bene vel male agat. proinde ſi, quemadmodum Deus totum mundum ſua benignitate fovet, & tu ſimiliter feceris, nunquam impinges & delinques.

Hoc etiam cum acclamatione approbato, dixit ad ſe-
17. quentem: QUIS eſſet finis, & quod officium regnandi? Ille dixit: Recte ſeipſum regere, & quidem ita nihil ex confidentia opum & gloriæ concupiſces, quod ſit elatum & indecens, ſi ſortem tuam diligenter perpenderis. Nam omnia tua ita tibi adſunt tanquam nihil, & Deus vacat omni cupiditate plurium, & eſt æquus quod etiam tu, ut homo, conſideres: neque multas juriſdictiones ad tuum regnum pertrahere cupias.

18. Laudato eo, proximum interrogabat: QUOMODO poſſet habere optimas cogitationes deliberationeſque? Reſpondit ille: Si ſemper propoſueris tibi juſta, & ſtatues injuſticiam eſse privationem & perniciem; juſtis vero Deum ſemper adornare bona.

19. Hoc

Digitized by Google

Hoc approbato, ad ſequentem dixit: QVOMODO 19.
in ſomno quietus eſse poſsit? Ille dixit: Quæris rem explicatu difficilem. nam in illis quæ in ſomno dormientibus eveniunt, non regimus nos ipſi, ſed ducimur ſenſu irrationali circum illa. Quæ enim utcunque inciderunt, illis afficimur tanquam iis quæ cernamus. idq; fit ſine ratione, quatenus putamus nos vel in mare ferri, vel navibus vehi, aut vendere aliquid, aut volare ſublatos, aut peregrinari, idq; genus alia facere quæ poſtea experimur non extitiſse. Licet aūt hæc ſit difficultas in hoc negotio, tamen quantum ego poſsum aſsequi intelligentia mea, ita puto tibi faciendū eſse rex, ut omnia quæ & agenda & dicenda ſunt tibi, illa referas ad pietatem. Nam ut ipſe expertum habes, dum meditaris & agis ea quæ ſunt virtutis, interim neque gratificaris alicui præter rationem, neq; potentia confiſus jus tollis. Fere autem, quibus in negociis quis vigilans multum verſatur, in illis etiam in ſomno animus ejus occupatur. Hinc ergo, qui vigilans omnem cogitationem & actionem ſuam ad honeſtiſsima & optima habet deſtinatam, ille etiam in ſomno inde rectas habet commotiones: ſicut & tu Rex perpetua es animi æquabilitate præditus.

Hoc etiam cum applauſu audito ad ſequentem dixit: Quoniam tibi decimo loco eſt reſpondendum, ubi pronunciaris ſentētiam tuam, convertemur ad cœnationem.
Ex te autem cupio cognoſcere: QVOMODO nihil egeri- 20.
mus indignum nobis? Ille inquit: Inſpice aſsidue in tuam gloriam & excellentiam dignitatis tuæ, ut ita conſentanea illis & loqui & cogitare ſtudeas, ex hac animi ſententia: Quia omnes quibus tu imperas, de te cogitent & loquantur. Nam nihil prorſus in te debet eſse ſimulatum & fictū; quemadmodum neque perſonam illam quam ſuſtines, fingere & ſimulare potes. Hoc alii in te cernentes omnes,

ſimiliter ſtudebunt agere, verum tu nihil ſimulas, neq; es rex perſonatus: ſed præſtas regem verum, ex gratia Dei, qui pro tuorum morum præſtantia tibi imperium dignũ contribuit. Hæc omnia cum rex cum magno approbationis ſuæ applauſu accepiſſet, & deinde convivii hilaritatem in ſatis longum tempus protraxiſſet, tandem juſsit viros illos ducere cubitum. Quo facto & finita hac convivatione, apparabantur quæ in ſequentis diei convivium inſtruendum pertinerent.

Tertii diei convivium.

Sequenti ergo die, cum idem diſcumbentiũ ordo eſſet, rex ubi putavit adeſſe tempus quærendi aliquid ex illis, primum ex reliquis nondum interrogatis hac allocutus

21. eſt interrogatione: QUOD imperium eſſet optimum? Reſpondit: Sibi ipſi imperare, nec rapi ab affectibus ſuis. Nam hoc quidem eſt in natura omnium hominum, ut ſint animis proni & inclinati ad aliquid proſequendum. & hinc vulgus fere putat ſe debere inclinare ad commeſſationes, potationes, & alias hujus generis voluptates. Reges vero exiſtimãt, ſibi pro ſuæ potentiæ & dignitatis amplitudine convenire regionum ſubjugationem: ſed modus in omnibus rebus rectus eſt & probatur. Tu ergo rex, conſerves & tucaris ila quæ Deus tibi contribuit: quæ vero ad te non pertinent, & ad quæ non datur tibi acceſsus juſtus, illa ne concupiſcas.

22. His delectatus ad ſequentẽ dixit: QUOMODO poſſet eſse liber a vitio invidiæ, ita ut ipſe nemini invideret? Ille interjecta brevi mora, dixit: Hoc præcipue modo, ſi ita tecum cogitaveris, Deum eſse, qui diſtribuat & largiatur regibus potentiam & opum affluentiam, nec eſse quenquam regem ex ſeſe, id quod inde patet, quia omnes cupiunt conſequi hanc dignitatem: ſed non poſsunt, cum ſit Dei donum.

23. Hoc

Digitized by Google

Hoc multis collaudato, ad ſequentem dixit: QVOMODO ſpreverit hoſtes? Ille dixit: Si ſtudueris omnes homines benevolentia proſequi, & ita tibi paraveris amicitias illorum, non te turbabit hoſtis ullus: ſed ita promeritum & in gratia eſse apud omnes homines, eſt præclarum donum Dei, quo ab illo præſtãtius non licet conſequi aliud. 23.

His approbatis, ſequentem reſpondere ad hanc quæſtionem juſsit: QVOMODO poſset eſse in perpetua gloria & fama apud homines? Ille dixit: Si fueris munificus, & propenſus ad alios promptitudine animi & beneficiis demerendos, nunquam te deficiet gloria. Sed ut iſta jam dicta tibi perpetuo aſsint, Deus ſemper invocandus erit. 24.

Hoc cum approbatione excepto, proximum interrogabat: APVD quos conveniret glorioſe & honorifice ſe gerere? Ille dixit: Alii omnes putant hoc faciendum eſse apud illos, qui amice erga nos ſunt affecti: ego autem exiſtimo hanc honorificam venditationem cum gratia civilis moderationis uſurpandam coram illis, qui in contrariis gloriam et laudem quærunt, ut hoc modo illos etiam traducamus ad id quod conveniat & proſit illis. Sed Deus erit orandus, ut hæc ille perficiat, qui omnium animos gubernat et moderatur. 25.

Suffragatus huic, ſextum pronunciare juſsit ſententiam ſuam ad hanc quæſtionem: QVIBUS eſset gratificandũ? Ille dixit: Parentibus perpetuo et in primis, quoniam Deus maximum dedit præceptum de honorandis parentibus: ſecundo loco amicis, quod idem vult cum dicit, Amicum exæqua animæ tuæ. Sed tu Rex præclare facis, qui omnes homines in tuam amicitiã pertrahere ſtudes. 26.

Hoc etiam approbato, ſciſcitabatur ex ſequenti QVID eſset dignum cultu decente et exornatione? Ille inquit: 27.

Digitized by Google

Pietas. hæc enim & ipſa eſt excellēs quædam pulchritudo, quæ vim ſuam ſitam habet in charitate, dono Dei: quam tu etiam poſsides, & in ea omnia bona complecteris.

Ad hæc amico admodum applauſu edito, ad ſequētem
28. dixit: QVOMODO offenſione aliqua imminutam gloriam recuperare poſset? Ille inquit: Tu quidem non potes labi & offendere quenquam, qui in omnes beneficia confers, unde germinat benevolentia: quæ cum ſit ſuperior maximis armis, præſtat maximum munimentum & præſidium. ſed ſi qui ſolent delabi in offenſas, illi ea, quibus offendunt alios, non ampſius faciant. ſed reconciliatis animis offenſorum, juſta agant. Verum hoc eſt donum Dei, bonis & non malis actionibus deditum eſse.

29. His oblectatus, ad ſequentem dixit: QVOMODO quis vacuus eſse poſsit a triſticia? Ille reſpondit: Si neminem læſerit, ſed omnes ex amore & ſtudio colendæ juſticiæ juverit. hujus enim fructus pariunt ſecuritatem & tranquillitatem animi. Interim tamen Deus erit orandus, ne quæ præter animi noſtri voluntatem & ſententiam incidere ſolent, ut obitus, morbi, mœſticia & ſimilia, illa etiam eum turbent. Sed tibi, pietatis cultori, nihil horum accidere poteſt.

Recte autem & hoc approbato, decimū interrogabat:
30. QVID eſset inprimis glorioſum, & homine dignum? Ille dixit: Colere et venerari Deum, non muneribus et ſacris, ſed animi puritate: et hoc ſancto ſtudio cogitandi et conſiderandi, ut omnia ab ipſo creentur, & gubernētur ſecūdum voluntatem ſuam. Ad quem quidem tu es animo et ſententia tua perpetuo conformatus: ſicut hoc licet facile omnes cognoſcere ex illis quæ egiſti et agis. Tum rex majore acclamatione comprobationis ſuæ ipſos omnes proſequebatur comprobantibus ipſos etiam aliis qui aderant

Digitized by Google

rant, et præcipue philoſophis, quibus illi longe præſtantiores erant et ſtudiis vitæ et orationis uſu, ut qui a Deo omnium caperent initia. Hinc rex ad hilaritatem convivii et invitationem rediit.

Quarti diei convivium.

Poſtero die, convivio inſtructo ad eundem modum, cum Regi eſset viſum opportunum, incipiebat interrogare illos qui ſequebantur eos, qui jam reſponderant, ac ad primum dicebat: NVM prudentia ſtudiis et doctrina parari poſset? Ille dixit: Eſt hic habitus animi, quia divina virtute dirigitur ad proſequenda omnia honeſta et contraria averſanda. 31

Suffragatus huic, ſequentem interrogabat: QVID in primis faceret ad valetudinem tuendam? Ille reſpondit: Temperantia. Sed hanc non licet aſsequi, niſi Deus ad eam mentem præparet et conformet. 32

Hoc approbato, ad alium dixit: QVOMODO parentibus dignas quis poſset referre gratias? Ille dixit: Nulla prorſus triſticia et moleſtia ipſos afficiendo. Sed hoc non conceditur, niſi Deus mentis dux et gubernator extiterit in conſiliis et actionibus dirigendis ad optima quæque. 33

Suffragatus et huic, ad ſequentem dixit: QVOMODO quis fieri poſset cupidus audiendi? Si, inquit ille, exiſtimaverit utile eſse omnia cognoſcere, ad hoc, ut ex auditis aliquid ſeligat, quod cum tempus poſtulet, depromat, et in agendo ſequatur: ſub gubernatione tamen et quaſi manuductione Dei, quia ab ipſo actiones ad ſuos eventus perducuntur. 34

Hoc comprobato, ad ſequentem dixit: QVOMODO quis nihil egerit contra leges? Ad hoc dixit ille: Ita potuerit aliquis obtemperando ſequi leges, ſi ſtatuerit, Deum cogitationes et intelligentiam ſuggeſsiſse legumlatori ad ferendas leges tales, in quibus ſalus hominum conſiſtat. 35

Approbato

Digitized by Google

36. Approbato hoc, ad ſequentẽ dixit; QVAE eſſet cognationis utilitas? Ille reſpondit: Si rem exiſtimare volumus ex eventis, ut in adverſa quidem fortuna una dejiciantur affliganturque pro magnitudine ipſorum mutuæ cognationis (Quæ cum fiunt, & gloria ſequitur, & cognationis vinculum fit arctius. quoniam cognatio, benevolentia & beneficentia temperata, fit omnino indiſſolubilis:) in fortuna vero ſecunda ultra res ipſorum nihil amplius requirant, & aliunde petant: ſed Deus orandus erit ſuppliciter, ut omnia proſperet.

Hoc ſimiliter approbato, ſequentem interrogabat:

37. QVOMODO quis poſſet ſine metu eſſe? Ille dixit: Si habuerit mentem nullius malæ actionis ſibi conſciam, ex beneficio Dei dirigentis animum ad conſultationes de omnibus rebus bonas.

38. Huic ſuffragatus, ad alium dixit: QVOMODO quis poſſet in promptu habere rationem rectam? Ille dixit: Si ſemper reſpexerit ad hominum infortunia, & inde hoc didicerit, Deum adimere aliis ſecundam fortunam, alios vero extollendo evehere ad dignitatis decus.

39. Hoc etiam approbato, ſequentem hortabatur oſtendere: QVOMODO neq; ad ignaviam, neque ad voluptates diſtraheretur? Ille inquit: Si ob oculos habueris, & conſideraveris, te præeſſe magno regno, & multis imperare, nec debere mentem ad alia traducere, ſed circa iſtorum adminiſtrationem retinere animi cogitationes & curas: interim tamen orandus erit Deus, ne quid omittas eorum quæ ſint officii tui.

40. Hoc collaudato, decimum interrogabat: QVOMODO poſſet cognoſcere doloſe ſecum agentes? Ille reſpondit: Si obſervaveris, quam ſit cuique vita libero homine digna, & quam conſtans certaque morum æquabilitas in ſalutatio-

ſalutationibus, conſultationibus, & reliqua converſatione, in benevolentia, & reliquis vitæ officiis nihil ultra modum agant. Deus autem tibi, Rex, mentem ad optima diriget. Rex cum applauſu hoc accepto, & ſimul omnibus aliis nominatim collaudatis, idque etiam facientibus aliis qui aderant, deinde convertuntur ad hilaritatem "canentium. "cœnantiũ forte.

Sequenti die Rex ſimiliter captata oppotrunitate, interrogabat ſequentem: QVAE eſſet maxima negligentia? Ille ad hoc reſpondit: Si quis non curat liberos, nec eos educando quam diligẽtiſsime informat. Nam oramus Deum ſemper non tam pro nobis, quam pro liberis noſtris, ut illis aſsint omnia bona. ut autem vere cupiant & poſsint acceptare temperantiæ diſciplinam, hoc eſt gratiæ & virtutis divinæ. Quinti diei convivium. 41.

Hunc faſſus recte dixiſſe, alium interrogabat: QVOMODO amator patriæ quis extiterit? Ille dixit: Si ita ſtatuerit ſecum, honeſtum eſſe & vivere & mori domi: apud peregrinos vero, reputet egentes quidem contemni, divites vero male audire, tanquam ob turpitudinem aliquam exulent. Verum tu, Rex, ſi perges benefice tractare omnes, quemadmodum hoc diligenter facis, Deo contribuente tibi erga omnes tam benignam voluntatem, habeberis amator patriæ. 42.

Hoc audito, ex eo qui ſequebatur quęrebat: QVOMODO quis cum uxore poſſet commode & conſentienter in conjugio degere? Ille dixit: Hoc quidem certum eſt genus muliebre eſſe confidens & animoſum, & idoneum ad quam rem cunque velit efficiendam: ad hæc, mutabile, ob conſilii & ſexus imbecillitatem naturalem: ſed cum ratione & ſana mente eſt tractandum, nec irritandum adverſando ad contentionem. Ita enim vita recto & felici 43.

Digitized by Google

curſu agitur, cum gubernator ejus ſcit & conſiderat ad quem ſcopum omnia in ea conſilia & actiones omnes oporteat referre, verum accedente invocatione opis divinæ. hæc gubernatio fit fœlix.

Hoc cum aſſenſione audito, ad ſequentem dixit: QVO-
44. MODO ſine erratis vixerit? Ille dixit: Si egeris omnia cum diligenti conſideratione, & non habueris fidem calumniis, ſed putaveris tibi ſingula eſſe expendenda: ſiq; cum judicio pariter & colloqueris cum aliis, & de quibus fueris locutus, illa perficies: ita, Rex, nunquam laberis & errabis. Sed hæc ita expendere, & in iis perſeverare, eſt opus divinæ virtutis.

45. His exhilaratus, ſequentem interrogabat: QVOMODO poſſet eſſe liber & vacuus ab ira? Ad hoc dixit ille: Si primum conſideraveris, quod cum omnium poteſtatem habeas, ſi adjunxeris iram, mortem ſis allaturus multis: id quod eſt inutile & triſte, ſi quis ex eo, quod omnia in ſua poteſtate habeat, multos vita privat: deinde ſi hoc etiam perpenderis, cum omnes habeas ſubjectos, & nullum adverſantem, non eſſe cur tibi ſit iraſcendum. Poſtremo, ſi & hoc expenderis, Deum totum mundum gubernare cum manſuetudine ſine indignatione omni; huncq; Rex tibi eſſe imitandum.

Faſſus hunc præclare reſpondiſſe, ex ſequente percon-
46. tabatur: QVID eſſet recte deliberare, & ſana capere conſilia? Ille dixit: Omnia recte agere cum diligenti ponderatione, appoſitis ad conſultationem ex contraria parte noxiis etiam, ut ita ſingulis inſpectis perpenſiſque & rectum conſilium capiatur, & quod conſtitutum ſit peragatur. Sed illa demum ſunt optima conſilia, quæ divina virtute in piis animis reguntur.

47. Recte & hunc ſtatuiſſe faſſus, proximum interrogabat:

QVID

QVID eſſet Philoſophia? Ille dixit: Recte ſentire & ſtatuere de ſingulis quæ eveniunt in vita, nec de gradu moveri impetu ullius cupiditatis: ſed perpenſis incommodis quæ ex cupiditatibus exiſtant, pro tēpore omnia agere, ut conveniat cum animi moderatione. Sed ut horum curam habere poſsimus, Deus erit colendus.

Erga hunc etiam approbatione declarata, ad proximū dixit: QVOMODO apud peregrinos poſſet nanciſci ho- 48. ſpitales et faciles ad ſe excipiendum? Dixit ille: Si te erga omnes æqualem exhibueris, aut etiam inferiorem magis quam ſuperiorem erga illos apud quos peregrineris. Nam primum Deus ipſe in univerſum, quod ſe humiliat, acceptat ex ſua natura. Deinde etiam homines ipſi demiſſos humanitate proſequuntur.

Suffragatus huic, alium interrogabat: QVOMODO 49. extruere poſset, quæ ſint futura diuturna? Ad hoc dixit ille: Si magna et honorifica perfeceris opera, ut contemplantes ea, ob pulchritudinem cogantur ab illis abſtinere nec ullus ſimilia auſit inſtituere, aut alios intentos curæ neceſsariæ ad ea perficienda perpellere poſsit ſine mercede. Sed præcipue hoc ita aſsequeris, ſi conſideraveris, Deum magna providentia gubernare et tueri genus humanum, et ipſis ſuppeditare valetudinem, integritatem ſenſuum, aliaque omnia, et tu ſimile quid imitans ipſum egeris, non neglecta interim etiam juſta malorum compenſatione. Nam quæ per juſticiam peraguntur, illa habent diuturnitatem.

Hunc etiam faſsus recte dixiſſe, interrogabat decimum: QVIS eſset fructus ſapientiæ? Ille dixit. Non eſse ſibi con- 50. ſcium malarum actionum, et in tota vita degenda veritatem colere. nam ex hoc maximum gaudium, et tranquillitas animi maxima tibi contingent Rex. Spes etiam in

Deo præclara continget tibi, pie adminiſtranti regnum. His auditis, omnes exclamarunt cum applauſu magno: deinde rex lætitia repletus, ad propinandum eſt verſus.

Sexti diei convivium. Sequenti autem die apparato convivio, ſeries eadem, quæ ante, erat diſcumbentium. Ibi Rex data opportunitate, reliquos interrogare cœpit, ac ad primum dixit:

51. QVOMODO quis vitaverit, ut non in ſuperbiam incidat? Ille dixit: ſi primum æqualitatem ſervaverit: deinde ubiq; ſibi ſubjecerit, quod ipſe homo præſit hominibus: tertio, ſi cogitaverit Deum deprimere ſuperbos & exaltare humiles.

52. Commendato eo, ſequentem interrogabat: QVIBVS ſit utendum conſiliariis? Illis, inquit ille, qui in multis ſunt exerçitati negociis, & qui ſinceram erga te conſervant benevolentiam, quique eiſdem tecum præditi ſunt moribus: ſed horum cognitio contingit dignis, ex illuſtratione divina.

53. Collaudato & eo, ſequentem interrogabat: QVAE poſſeſſio eſſet regi inprimis neceſſaria? Ille reſpondit: Subditorum humanitas & amor, quia ex his benevolētiæ nexus exiſtit indiſſolubilis. Sed Dei eſt, iſta ex animi ſententia perficere.

54. Eo comprobato, ex ſequente percontabatur: QVIS finis eſſet orationis? Ille inquit: Perſuadere, ſed ita ut oſtendas, adverſariū ex argumentis & orationis ſuæ ſerie habere noxia propoſita; ita enim conciliabis tibi auditorem ad ſententiam tuam acceptandam: non contra diſceptando rationibus, ſed adjutus ipſius adverſarii comprobatione. Verum Deus eſt, qui ſua virtute gubernat perſuaſionem ad eventum exoptatum.

55. Pręclare hunc faſſus dixiſſe, alium interrogabat: QVOMODO, cum in regno ſit varia hominum multitudo, Regi

Regi cum illis convenire poſſit? Ille inquit: Duce juſticia, cuique quod ei convenit attribuendo; quemadmodum tu Rex hoc facis; Deo ſuppeditante tibi ſanitatem & rectitudinem judicii.

Hunc benigne amplexus, ad alium dixit: OB QVAE 56. ſit triſtandum? Ille reſpondit: Ob illa, quæ adverſa eveniunt amicis, ſi cernamus ea fore diuturna & inevitabilia; Nam ob defunctos & liberatos malis, ratio non permittit triſtari. Sed ad ſe & ſuum commodum reſpicientes, etiam ob hæc omnes homines triſtantur. Ceterum ut quis effugiat omne malum, hoc non contingit niſi virtute Dei.

Faſſus hunc reſpondiſſe ut oportebat, ad proximum dixit: PER quæ veniat quis in contemptum, & amittat 57. gloriam, & exiſtimationis famam? Ille dixit: Quando in aliquo exiſtit ſuperbia, & confidentia perpetua, tum ſupervenit contemptus, & exiſtimationis ejus everſio. Deus tamen omnem gloriam gubernans, quo vult eam inclinat.

Hujus etiam ſententia pro rata accepta, ſequentem interrogabat: QVIBVS debeat ſe credere? Illis qui verſan- 58. tur tecum ob benevolentiam, non ob metum, neque ob potentiam tuam, referentes inde omnia ad ſuum commodum. Nam illud argumentum eſt amoris: hoc, malevolētiæ & callidæ captationis opportunitatis ad fraudem uſurpandam. Nam qui ducitur cupiditate rerum ſuarum locupletandarum, ſolet eſſe proditor: verum tu omnes benevolos habes, Deo ſuggerente tibi rectitudinem conſilii.

Faſſus eum ſapienter reſpōdiſſe, dixit ſequenti: QVID 59. conſervet regnum? Ad hæc reſpondit ille: Sollicita & diligens obſervatio & cura, ne a præfectis negociis expediendis quid perperam agatur, & mali aliquid inferatur in

Digitized by Google

ſubditos. quam quidem curam tu ſedulo adhibes, Deo ſubminiſtrante tibi animi cogitationes graves.

60. Hoc confirmato, ſequentem interrogabat: QVID conſervet gratiam et honorem? ille dixit: Virtus, quæ bona peragit opera, et quod vicioſum eſt abolet. quemadmodum tu hoc donum nactus divinum, erga omnes conſervas et uſurpas perfectam virtutis probitatem.

61. Hoc etiam libenter audito, undecimum, eo quod illorum duo ſupra ſeptuaginta eſsent, interrogabat: QVOMODO etiam in bello gerendo poſset eſse animo tranquillo? Ille dixit: Si tibi perſuaſeris, nihil eſse a te temere et negligenter ordinatum, omneſque tuos ad edenda præclara facinora inde certaturos quia ſciant, ut maxime ex vita exceſserint, te habituros curatorem rerum ſuarum. Neque enim, Dei beneficio nactus ex animi ſententia rerum ſucceſsum, ceſsas omnes tuos refocillare, et erigere tua munificentia, ad meliorem rerum ſuarum ſtatũ. Edita ſignificatione approbationis ſuæ per applauſum, ipſos omnes amice commendavit, et ſingulis paulo plus propinavit, ut eo plus oblectationis et gaudii haberet iſta ſua converſatio cum ipſis.

Septimi diei convivium.

Septimo die, inſtructo convivio cum majori apparatu, eo quod plures, et ii ſatis multi, advenerant legati ex civitatibus, cum tempus adeſset, Rex primum ex reliquis

62. ad interrogandum percunctabatur: QVOMODO effecerit, ut non ſeducatur et decipiatur verbis aliorum? Ille inquit: Si expenderis et quis ſit qui dicat, et quid dicat, et de quo dicat, et quidem longiori tempore eadem aliis modis ſciſcitando. Sed habere mentem celerem, et idoneam ad quævis dijudicanda, qualem tu habes, hoc eſt præclarum donum Dei.

Applauſu approbationis edito, alterum interrogabat:

QVARE

QVARE plerique homines virtutem non amplexarentur? Ille dixit: Quia natura omnes homines ſunt incontinentes, & proclives ad voluptates: unde ſolet exiſtere injuſtitiæ & avaritiæ immenſitas. At virtus functione & vi ſua inhibet præcipites ad incontinentiam voluptatis, & jubet potius colere continentiam & juſtitiam: ſed hæc etiam omnia Deus adminiſtrat pro ſua voluntate. 63.

Confeſsus hunc bene reſpondiſse, proximum interrogabat: QVIBUS reges potiſsimum inſiſtere deberent? 64.
Ille inquit: Legibus, ut ſuo juſte agendi ſtudio demereantur omnium famam & approbationem: quemadmodum tu Rex, hoc modo obtemperans mandato divino immortalem nominis tui memoriam es adeptus.

Faſsus & hunc præclare dixiſse, ſequẽtem interrogabat: QVI eſsent conſtituendi adminiſtratores functionum publicarum? Ille dixit: Qui oderunt improbitatem, & imitantes mores & vitæ tuæ rationem, ad retinendam perpetuam exiſtimationis ſuæ famam, juſta agunt: quemadmodum tu Rex hæc facis, quia divinitus conceſsam juſtitiæ coronam habes. 65.

Approbato eo clara voce, & oculis in ſequentem conjectis, dixit ad eum: QVOS oporteat in belli duces eligere? 66.
Ille reſpondit: Fortitudine & juſtitia præſtantes, & quibus potius eſt ſervare homines, quam cupiditate victoriæ per confidentiam perdere eorum vitam. Nam ut Deus beneficus eſt in omnes, ita tu imitatione ejus omnia beneficentia proſequeris.

Faſsus eum bene reſpõdiſse, aliũ interrogabat: QVEM 67.
hominẽ conveniat proſequi admiratione? Ille dixit: Eum qui cum gloria, opibus & potentia abunde ſit exornatus, interim tamen animo æquali ſit erga omnes. quemadmodum tu Rex dignus es admiratione, qui dignitate, opibus

&

& potentia excellens, hoc facis, Deo tibi hujus rei curam injiciente.

68. Hoc quoq; comprobato, ad proximum dixit: IN quibus rebus reges majori tempore verſari deberent? ille inquit: In legendo & in commentariis legationum illarum quæ extant præſcriptæ ad reges, ad inſtauranda illa quæ faciunt ad rectam, ſalutarem & diuturnam hominum gubernationem. Quo ſtudio tu, Deo promovente tuos conatus ad eventus ſuos, conſecutus es gloriam aliis inacceſſibilem.

Vt res ſe habeat & hunc falſus dixiſse, ſequentem in-
69. terrogabat: QVALIS vitæ ratio ſit iucunda, & quid agendum in ocio & remiſſione animorum? Ille inquit: Contemplanda ſunt illa quæ ſobrie & cum animi contractione adornantur: & ob oculos ponenda, quæ in vita cum decore, honeſtate & moderatione fiunt geruntùrque, ut moderate & continenter vivas. Ineſt enim & in his quædam informatio, & ſæpe ex minimis aliquid proſecutione dignum demonſtratur. Tu vero, cum ſtudio uſuque vitæ & actionum ſis exercitatus, philoſopharis in ſtudio & actionibus virtutis perfectæ, ex illa præſtantia honoris quæ tibi a Deo contigit.

70. Delectatus oratione hujus, ad nonum dixit: QVAE ſit vitæ ratio in conviviis peragendis iucunda? Ille inquit: Si adjunxeris tibi diſcendi cupidos, quiq; poſsint tibi & regni negocia & ſubditorum mores vitamque commemorare, nihil his concinnius & ſuavius poteris habere. Nam tales, cum habeant animos eruditos, & conformatos ad res optimas, ſunt chari Deo: quemadmodum & tu talibus es occupatus, ut cui omnia a Deo recte adminiſtrentur.

71. Exhilaratus his dictis, ſequentẽ interrogabat: VTRVM ſit ſatius populo ut ex privatis aliquem ſibi eligant regẽ,

an

Digitized by Google

an vero ex regia ſtirpe genitum? Ille inquit: Id eſt eligendum, quod eſt naturæ gratum & exoptatum. Nam & ex regibus electi in gubernationem regni, adverſus ſubditos inclementes & duri ſolent exiſtere: & ex privatis, ac quidem multo magis, nonnulli & alia mala & paupertatem experti, cum ad imperia populorum fuerunt perducti, extiterunt intolerabiliores etiam impiis tyrannis. Sed, quemadmodum dixi, indoles ingenii, & natura proba, & humanitatis cultu exornata, idonea eſt ad imperandum: quemadmodum tu Rex magnus es, qui non tam dignitate imperii & opibus præſtas aliis, quam æquitate & humanitate omnes alios homines ſuperas, Deo tibi iſta in longius tempus ſua benignitate ſuggerente.

*Hoc etiam collaudato, poſtremū interrogabat: QVID 72. eſſet in regia gubernatione maximum? Ad quod ille dixit: Vt ſubditi habeant perpetuam pacem, & celeriter conſequātur in judiciis jus ſuum: quæ quidem tum fiunt, quando qui præeſt imperio, eſt oſor improborum, & proborum amator: ac maximi facit hoc, ut animam hominis conſervet. Quemadmodum & tu maximum ſemper judicaſti ſcelus injuſtitiam: juſte vero omnia gubernando, perpetuam tibi conſecutus es gloriam ex beneficio divino: unde tu mentem habes ſanctam, & ab omni malorum labe immaculatam.

Finis libri ſecundi.

Digitized by Google

IN hoc libro continentur dicta ſapientum Arabiæ, & aliorum quorundam collecta ex lib. ſelectarum margaritarũ, quem SEPHER MIBCHAR HAPPHENINIM *vocant. Eum mihi commodavit vir linguarum orientalium callentiſſimus Franc. Raphelengius. Vſus autem ſum exemplari edito Cremonæ anno 1558 per Vincentium Contium: in quo erant ſcholia Ebraica valde bona, quibus adjutus ſum non uno in loco. Scriptus fuit hic liber primum Arabice: inde converſus eſt in ſermonem Ebræum a Iudæo neſcio quo. nam nomen non erat adſcriptum. Sed nec apophthegmata certum autorem præferebant: ideo ea nude citamus ſub nomine Sapientis. Stilus erat obſcurus ac difficilis, cujuſmodi eſſe ſolet ut plurimum in iis, quæ ex aliena lingua commode tranſlata non ſunt. Quo facilius ignoſci mihi debet, ſicubi lapſus ſum. Sed jam ipſum Sapientem audiamus.*

Habeo nunc proprium exemplar manuſcriptum ex Syria uſq; mihi miſſum, curãte id per ſuos Davide de Gulielmis juvene docto & probo, diſcipulo quondam meo.

1. Dicere ſolet, Interrogare ſapientem dimidia ſapientia eſt. *Nam qui interrogat, ab eo diſcit, quæ ſibi uſui ſunt ad vitam recte & ſapienter inſtituendam. Valet etiam ut ſi dicas, Interrogare eruditum dimidia eruditio eſt. Nam ſapientia dicitur Ebræis quicquid alter diſcit ab altero.*

2. Idem dixiſſe fertur, Sile & evades: audi & diſces. *Senſus eſt, ſile & vitabis periculum, quod ex incontinentia linguæ. Aut ſile ad convicia, & audi ſapientes.*

3. Ejuſdem eſt illud, Reges judicant terram, ſapientes judicant ipſos reges. *Nam boni principes reguntur conſilio ſapientum.*

4. Cum ex eo quæreretur quis dignus eſset regno? Sapiens, inquit, aut rex qui inquirit. *vult dicere, qui in conſilium*

ſilium adhibet viros doctos & ab uſu peritos, qui nihil facit ſine conſilio ſapientum. Convenit ex parte cum Platonis dicto, qui aſſeverabat tum denique fore beatas Reſpublicas, ſi aut docti aut ſapientes eas regere cœpiſſent, aut qui regerent omne ſuum ſtudium in ſapientia collocaſſent.

Interrogatus cur ſapientior eſſet ſociis ſuis: Quia, inquit, plus in oleo inſumpſi, quam illi in vino. *Innuit ſe multum operæ poſuiſſe in ſtudio ſapientiæ: nam ad lychnuchū lucubramus.* 5.

Mi nli, ne eſto ſapiens [a] verbis, ſed factis: *Quidam ſemper in ore habent virtutem, cum vitiis ſcateant. Atqui virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima eſt ſtultitia caruiſſe. Talem ſapientiam utinam Deus largiatur omnibus noſtri ſeculi theologis.* 6.

[a] verbis tã-tum videlicet. Nam verbis & ſimul factis ſapere vere ſapientis eſt.

Homo ſapiens eſt quamdiu quærit ſapientiam: ubi autem ſe putat ad ejus culmen perveniſſe, deſipit. 7.

* Corpus ſapientia vacuum, eſt tanquam domus fundamento carens. *Nam ut domus fundamẽto nititur: ita corpus ſapientia regitur: item ut domus abſq; fundamento ſtabilis non eſt, ſic nec corpus abſq; ſapientia. Nam in defectu cordis homo moritur.* 8.

* vel corpus abſq; ſapientia eſt domus abſq; fundamento.

Dicebat optimū patrimonium eſſe ſapientiā, quod per eam ſapiẽs cõpararet opes, quas alius per ſtultitiā perderet. 9.

Sapientes in terra, quod luminaria in cœlo. 10.
Unde vocantur luminaria mundi. Nam illuminant mundum & docent homines ambulare in viis vitæ. Vide Præterita mea, Matth. 5.14.

Quærenti utri potiores eſſent ſapientes an divites? reſpõdit, ſapientes potiores eſſe. Rurſus quærenti, Cur ergo ſapientes frequentant ædes divitum? Quia, inquit, ſapientes cognitam & perſpectam habent dignitatem divitiarū: divites vero ignorant quæ ſit dignitas ſapientiæ. 11.

Schol. Quod ſi noſſent eam, mane tererent limina ſapientum ad audiendum verba ſapientiæ ex ore ipſorum. Sapientia enim extollit ea præditos in hoc ſeculo & facit eos poſſidere ſeculum futurum.

12. Negabat ſapientem eſſe, qui aut minorem ſe contemneret, aut majori invideret, aut præmium acciperet pro ſapientia ſua.

Majori) ditiori, non ſapientiori.

13. Dicebat quinque gradibus ad ſapientiam perveniri, Silentio, Auditu, Memoria, Opere, † Doctrina.

† Alias Timore.

Silentio. nam loqui debet qui docet, non qui diſcit. Auditu, proximus gradus ad ſapientiam, ut quis audiat ſapientes: unde illud, Audi & ſapiens fies. Memoria, ne excidant quæ didicit. Opere, ut vita exprimat quod didicit. Doctrina, ultimus gradus ut alios doceat.

Prov. 8.5.

14. Cum timore perit ſpes, & cum pudore deficit ſapientia. *Qui ſemper timet caſus futuros, indicat ſe parum ſpei habere in Deo: rurſus quem pudet quærere quod neſcit, nunquam perveniet eo, ubi ipſa eſt ſapientia, ut verbis utar, quibus olim uſus eſt poeta vetus.*

15. Interroganti an ſenem diſcere pulchrum eſſet? Quippeni? inquit, nam neſcire turpe eſt.

16. Admonebat cavendum eſſe ſtultum qui coleret, & ſapientem qui peccaret. *Qui coleret, hoc eſt qui pietatem ſimularet: qui peccaret, hoc eſt qui improbus eſſet. Nam quoquiſque ingenioſior, eo plus nocebit, ſi malus fuerit.*

17. Cum videret ſenem qui literas diſceret, Hic, inquit, in arena ſcribit: cum juvenem, Hic, inquit, in lapide cælat.

18. Diſce ab eo qui ſcit, & doce eum qui neſcit. Sic enim ſcies quod antea neſciebas, & recordaberis, quod prius ſciebas.

Nempe docendo alios. Quadrat cum dicto Aquibæ, multa didici

Digitized by Google

didici a præceptoribus meis, plura a ſociis: ſed a diſcipulis meis plura didici quam ab aliis.

Cujus facta dictis non reſpondent, ſi quando aliquem reprehendit, ejus oratio cadit ſuper corda, quemadmodum pluvia cadit ſuper lapidem. 19.

Vel ſuper ſaxa. vult dicere, infructuoſa eſt.

Dicebat ſapientiam abſconditam & theſaurum occultum paria eſſe. 20.

Item, Nemo deprehendit errorem præceptoris ſui, donec audierit contradicentem. 21.

Præcipiebat non eſſe projiciendas margaritas coram porcis, innuens non eſſe docendam ſapientiam eum, qui eam non æſtimaret. Nam ipſa quidem, inquit, eſt pretioſior margaritis, & qui eam non æſtimat nec requirit, pejor eſt ſuibus aut porcis. 22.

Cornu [a] prudentis eſt manſuetudo. 23.

Cornu ſtulti eſt [b] ferocia. 24.

Cornu) id eſt ſignum ſive nota. vel eſt metaphora ſumpta ab animalibus, quæ ſe cornubus tuentur, q. d. Prudens ſe tuetur humilitate & manſuetudine, dum ſilet ad convicia, & omnia fert patienter.

[a] vel intelligētiæ. [b] vel imprudentiæ.

* Præmium manſuetudinis pax. 25.

Dictum ad imitationem illius, Præmium manſuetudinis domini metus. Prov. 22. 4. Ubi Hiero. finis modeſtia timor DOMINI.

* vel merces.

Cum ad maledicta taceret, & ab eo quæreretur, cur id faceret? Quia vereor, inquit, ne pejora audiam, ſi reſpondero. *ita eſt profecto. Qui convicianti reſpondet, magis magiſque illum laceſſit. Quare ſatius eſt tacere.* 26.

Stulto ſatis reſpondet, qui tacet. 27.

Verbum e verbo, Silentium ſtulti reſponſio eſt. Nam plus dolebit ſi taceas, quam ſi reſpondeas ei.

28. Cum quidam diceret homines ævi ſui eſſe peſsimos, nec ſe vivere poſſe inter eos: Attamen, inquit, vivendum eſt cum hominibus. Nam nec tu illis carere potes, nec illi te. Sed eſto inter eos ſurdus audiens, cæcus videns & mutus loquens.

Hoc vult, ſi probra in te conjecerint, aut ſannis te exceperint, fac te ſurdū ac ſi non audires: ſi videris opera eorū mala, quæ non potes prohibere, fac te cæcum ac ſi non videres; Noli etiam reſpondere ad eorum ſtultitiā ac ſi mutus eſſes.

29. Rogatus quid optimum eſſet in homine? tolerantia, inquit, quid peſsimum? ultio ſive vindicta.

30. Negabat fidem habere, qui non haberet hæc tria: Manſuetudinem, qua ſtultos ferre poſſet. Timorem, qui ipſum a vitiis abſterreret, * Spiritum ſedatum & placidum, quo hominibus, quod vellet, perſuaderet.

*Ad verb. ſcientiam quietam.

31. Cum non nemo ei conviciaretur, & unus ex diſcipulis diceret, Magiſter, da mihi poteſtatem in eum, reſpondit, Non eſt ſapiētis poteſtatem aut licentiā facere male agēdi.

32. Extremum omnis contentionis pœnitentia.

Vel finis litium pœnitentia. Vox Ebræa verbum e verbo ſonat complementum.

33. Extremum omnis manſuetudinis pax.

Vel merces. Nam אחרית *in fonte. Quod etiam in ſcholio ſententiæ præcedentis.*

34. Quis fortis? qui iram compeſcit.

35. Manſuetus vehiculum eſt ſtulti.

Vehit ſtultum, hoc eſt, fert & tolerat ipſum.

36. Convicianti cuidam dicebat, Parce conviciando, & relinque locum paci. *parce conviciando) noli exaggerare convicia in nos: ne auge convicia quibus nos aſpergis. Paci) aut reconciliationi.*

37. Qui audit quę non vult, & ſilet, id quod vult, obtinebit.

38. Man-

38. Manſuetudo, ajebat ſapiens, plus mihi auxiliata eſt, *omnes mei domeſtici *alias propinqui: ita Scholiaſtes.* * ots viri an hominesi ita textus.
quam

Bis peccat, qui crimen negat.

39. Si vindicabis, dolebis: ſi condonabis, gaudebis.

40. Expecta & evades, feſtina & pœnitebit.

41. *Expecta) differ. moram trahe. hoc vult, age contanter, quicquid agas. nam actio properata raro felicem eventum ſortitur. Schol. differ iram & vindictam.*

42. Qui cito currit, cito offendit.

43. Quoſdam ajebat cunctando pervenire eo quo volunt, & alios properando nimium impingere. *alibi eſt, Cunctare & aſſequeris: feſtina & impinges.*

44. Fertur ſemper hilari vultu fuiſse: cumque ex eo quidam quæreret cur nunquam triſtis eſset, ipſum reſpondiſse, nihil ſe unquam poſsediſse ob quod amiſsum dolere aut triſtis eſse debuerit. Nempe innuebat præter ſapientiam nihil ſe in bonis habuiſse, juxta illud, Omnia mea mecum porto.

Non poſsedi quicquã, nec defuit mihi quicquam ob quod triſtis eſſe deberẽ. Nam *qui credit Deo non dolet ob eventa, ſed accipit caſtigationes ejus animo hilari & juſtificat judicium.*

45. Nulla tibi res ſit abſque ſepe. Sepes rerum eſt fiducia: ſepes fiduciæ fides: ſepes fidei non metuere quicquam, ſed fidere Deo, &c.

46. Cum quidã in eum multa cõvicia feciſset, Quæ de me ſciebas, inquit, ea omnia cõmemoraſti, nec eorum quicquam omiſiſti. Scito aũt creatorẽ multo plura de te ſcire.

47. Cum alius eum conviciando ſequeretur domum uſq; ubi ad oſtium perveniſset, ſubſtitit, & converſus ad conviciatorem: Si quid præterea, inquit, habes, dic, dum hic ſumus, & abi, priuſquam aliquis ſtultorum," qui domi " aut propinquorũ meorum.

Arctis aut jurgiis. mi meæ ſunt, te audiat, & paria reddat, aut* pugnis pro merito excipiat.

48. Rex quidam, cujus nomen proditum non eſt, cum ſapientem quendam damnaſſet, & is ad mortem duceretur, ac unus ex conſiliariis diceret: Quod non admiſſum, ô rex, fieri ſemper poteſt: quod ſemel admiſsum, reprimi coërcerique non poteſt, hoc audito gratiam ſupplicii fecit & hominem dimiſit.

49. Alius rex duci aliquot jubebat captivos: ex iis unus, Peccavimus, inquit, ô rex; ſed an clementia tua peccaret, ſi nos dimitti juberet? Rex hoc dicto flexus ad miſericordiam, carnifici mandavit, ut eos dimitteret. Redeo ad Sophum noſtrum.

50. In fide eſse ajebat ſatis opum, & in cultu ſatis occupationum.

Nam qui fidem habet, etiam in paupertate lætus eſt & ſua ſorte contentus. Fides enim omnes caſus & eventa ſuſcipit cum gaudio.

In cultu) divino ſcilicet.

51. Neque ſollicitudo, inquit, divitem facit, neque odium divitiarum pauperem. *Odiſſe dicitur divitias homo liberalis & largus, & qui non magnam diligentiam adhibet ut dives evadat.*

52. Talis fugit divitias, & divitiæ illum inſequuntur: talis eas inſequitur, et divitiæ illum fugiunt.

53. Qui non fert placide caſtigationes Dei, ejus ſtultitiæ non eſt remedium.

54. Ob caſus diei ne perturberis.
Nam caſus diei non durant ad momentum.
Quare ne gaude ſi boni fuerint.
Et ne conſterneris ſi mali fuerint.
Nam bona ſimul et mala.

Quemad-

Quemadmodum veniunt ſic abeunt.

Tolera veritatem licet amara ſit. 54.

Sepes tolerantiæ utilitas. 56.

Mirari ſe dicebat eos, qui non haberent paratam ad 57. omnes caſus patientiam, & ad omne bonum gratiarum actionem.

Dolor de futuro eſt ægrum malum. 58.

Si venenum hauſiſſes melius tecum ageretur, quam ſi 59. mœrore te conficeres: *vel ſic*, Venenum bibere melius eſt, quam ſe mœrore conficere.

Mœror hominis ſecundum debilitatem animi ipſius. 60. *Nam vir fortis reſiſtit dolori & calamitatibus pro virili.*

Secundum magnitudinem caſus. 61.
Quo quiſque altius aſcendit, eo gravior eſt ipſius ruina. Sic vulgò dicitur, Qui alte aſcendit, ex alto cadit.

Secundum magnitudinem tolerantiæ. 62.
Quo quiſque major eſt, eo patientius debet ferre caſus adverſos: vel, ſecundum magnitudinem animi.

Res optima eſt in rebus patiĕtem eſſe, in verbis mitem. 63.

Qui non vincit luctū patiĕtia, ejus mœror longus erit. 64.

Eſt malum quod cum alio comparatum bonum eſt. 65.

Noli mœſtus eſſe ob ærumnam priuſquam acciderit, 66. ſufficit ærumnæ hora ſua.

Vt potio medica amara quidem eſt, ſed utilis bibenti: 67. ſic tolerantia.

Qui tolerat, ad optatum finem perveniet. 68.

Cum rex ei diceret, Si petas, ſuppeditabo neceſſaria, Nō 69. petam, inquit, nam te ditior ſum. Ain tu? qui hoc fieri poteſt? mihi, inquit, ſufficit parum quod habeo, eoque contentus ſum. Qui vero contentus eſt eo quod habet, is omnium hominum ditiſsimus eſt.

Qui non contentus rebus neceſſariis alia quærit, ſibi 70.

Digitized by Google

adimit uſum eorum, quæ habet.

71. Qui contentus eſt ſorte ſua, ſat habet.

72. Divitiæ amplæ ſunt non concupiſcere aliena.

73. Caput αὐταρκείας eſt alienas opes, quamvis magnas, non magnifacere; & ſuas, quãvis exiguas, non contẽnere.

74. Ne appende eum qui ſupra te eſt, tecum.

Vel eum æmulando in ſumptibus, quos facit: vel invidendo ei, quod ſit opulentior.

Qui ſupra te eſt; qui te ſuperat opibus aut potentia.

75. Si exiguum tibi videtur, quod poſsides, recordare inopiam pauperum & mala quæ tibi acciderunt.

76. Fructus αὐταρκείας quies. Surculi dejectionis amor.

Qui contentus eſt ſua ſorte, quietem: qui ſe dejicit, amorem ſibi conciliat.

77. Aſſuefac animam tuam, ut contenta ſit eo quod ſatis eſt, alioqui plus exiget, quam quod ſatis eſt.

78. Αὐτάρκεια & cupiditas nunquam pariter incedunt.

79. Argumentum infidelitatis eſt ubi quis aut vates conſulit, aut ab hominibus petit, quod a Deo petendum eſt.

80. Verecundia & fides ita conjuncta ſunt, ut ſi una recedat, altera ilico ſequatur.

81. Qui veſtes pudoris induit, ejus nævi occultantur ita ut non appareant hominibus.

82. Qui ſolicitus eſt de viis ſuis, ævum jocunde traducit.

Hæc paullo aliter in MS. Qui ſolicitus eſt de membris ſuis, bonas facit numerationes ſuas: alias greſſus ſuos.

Numerationes ſuas) vult dicere bonum reddit numerum dierum ſuorum.

De viis ſuis) lectio varians, de membris ſuis. vult dicere, qui corpus curat vitando aut æſtum nimium, aut frigus, aut deniq; cibos malos. Ævum jocunde traducit) adverb. implet numerum dierum ſuorum jocunde vivendo.

83. Summa

Sũma nobilitas eſt bonũ nomẽ ex recte factis acquiſitũ. 83.

Ne crede te ſapientem eſſe, donec eo animi robore 84.
fueris, ut poſsis regere cupiditates.

Cum nemo erit a quo conſilium petas, ſi teipſum ad- 85.
hibebis, fuge conſilium quod proximum eſt cupiditati
tuæ. Nam cupiditas hoſtis eſt intelligentiæ.

Interroganti quodnam bellum honeſtiſsimum eſſet? 86.
Illud, inquit, quod contra * voluptatem geritur. * concupiſcentiã cordis.

Conſilium dormit & cupiditas vigilat, ideo cupiditas
vincit conſilium. 87.

Qui obtemperat cupiditati, abnegat creatorem ſuum, 88.
auget dolorem ſuum; multa eſt pœnitentia ejus, & dupli-
catur pœna ejus.

Non eſt conſilium apud leves, nec ſapientia apud diſ- 89.
cordes aut contentioſos, nec quies apud eum, qui lucro
inhiat: ſive apud eum qui ſpem habet augendi & accumu-
landi divitias. Nam is nunquam quietus eſt.

Socia eſt cupiditatis cæcitas. 90.

Obſtare dicebat tria quo minus res humanæ melius ſe 91.
haberent: Senex non auditus, cupiditas non repreſſa &
faſtus hominis ſive opinio, quam de ſeipſo habet.

Et digno & indigno benefac, primum, quia te dignum 92.
eſt, ut ita facias: deinde quia ſic præcepit Creator, inquiẽs, Prov. 25. 21.
Quum eſurierit inimicus tuus, ciba eum pane, &c.

Sapiens eſt non qui poſt factum, ſed qui ante ſapit. 93.

Caput intelligentiæ ‖ prævidere futura, abſtinere ab 94. ‖ agnitio præſentis eſt in M.S.
illicitis, & conſolari ſe de eo quod corrigi non poteſt.

Non eſt amicus perverſo, nec fides ſervo, nec quies cu-
pido, nec * gloria parco, nec ſocietas iracundo. 95.

** vel exaltatio avaro.*

Ne laudato juſtum antequam cognoris, quæ ſit † intel- 96.
ligentia ejus: multi enim pii fatui ſunt. † ſcientia.

Digitized by Google

97. Eum dicebat *a* ad ſapientiam perveniſſe, qui brevis eſſet

a ad id ψ vult M S. in ſermone, minimeque verboſus, ſive qui reſecaret ſuperflua, & teneret viam compendii.

98. Rogatus quid eſset fiducia in Deum? qua Deo, inquit, fretus homo res ſuas omnes ei committit.

99. Vt dies oculatis viſum conciliat, & veſpertilioni cæcitatem: ſic diſciplina ab intelligente aut erudito repellit ſtultitiam, eandemque addit fatuo & inſipienti.

100. Stultũ ferre quam ſemiſtultũ ſatius eſt. *Semiſtultus dicitur, qui cum ſtultus ſit, tamen ſibi pulchre ſapere videtur. Stultus autem qui etiam judicio ſuo ſtultus eſt, quem ſtultum perfectum appellant. De hoc ſapiens noſter, Vidiſti virum ſapientem in oculis ſuis, ſpes eſt de ſtulto major quam de illo.*

101. Ne quære ſocietatem abſque fide, neque ſeculum futurum abſque opere, neque amorem mulierum abſque diſciplina, neque commodum ex damno alterius. *hoc dictum adſcribitur gymnoſophiſtis ſive ſapientibus Indiæ. Abſque diſciplina) niſi fueris probe inſtitutus, & honeſtis moribus imbutus. Nam fæminarum odium eſt homo ruſticus & inurbanus.*

102. Ariſtoteles in epiſtola quadam ad Alexandrum, Ita regna, inquit, ut ameris a ſubditis: amaberis autem ſi in eos benignus fueris. Præſtat ſane beneficiis & benevolentia regnum tenere, quam vi ac metu. Quid enim prodeſt poſseſsio corporum? nam poſseſsio ea demum vera eſt, qua quis corda & animos poſsidet. Corpora enim animos ſequuntur.

103. Amicum fidelem nactus, retine eum: nam alium non facile invenies.

104. Ex Sopho cum quæreretur, quo ſocio utendum eſse putaret: Eo, inquit, quem inventurus non es, ſi amiſeris.

105. Qui

Digitized by Google

Qui incitat, frater eſt homicidæ. 105.

Filio dicebat, Ne commuta veterem amicum cum novo, quamdiu cor [a] ejus tecum eſt. 106. [a] rectum.

vult dicere, quamdiu non eſt a te animo alieno.

Ne paucus ſit in oculis tuis inimicus unus, neve multi ſint amici mille. *hoc videtur velle, cum habebis unum inimicum, exiſtimato te multos habere: contra cum multos habebis vulgares amicos, exiſtimato te paucos habere, aut potius nullos. nam vulgares amici non ſunt amici. Ex quo illud* ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος. 107.

Quod læva abſque dextra, id eſt homo abſque amicis. 108.

Homo amicis carens eſt ſimilis ei qui lævam habet abſq; dextra.

Cum unum ex amicis amiſiſſet, Cecidit, inquit, membrum de membris meis. 109.

Cum rogaretur utrum magis diligeret fratrem an amicum? Non diligo, inquit, fratrem meum, niſi mihi amicus fuerit. 110.

In M S. *niſi conjunctus mihi fuerit amore integro & perfecto.*

Hæc tria eſſe ajebat indicia ſtultitiæ, reprehendere [a] alium, in quo ipſe reprehendendus ſis: petere a proximo, [*] quod nunquam tibi uſui futurum ſit: lædere vicinum ob rem nihil tibi profuturam. 111. [a] vel, in alio vitiū ✠ in te. [*] vel, cujus non indiges.

Hæc tria dicebat amicitiam puram & ſinceram efficere. Si amicum obvium prior ſalutaveris, Si venienti ad te latam ſedem paraveris, Si denique aptis & convenientibus epithetis eum compellaveris. 112.

Tria eſſe dicebat genera ſociorum. Vnum eorum, quibus carere nunquam poſſumus, non minus quam cibo ac potu: alterum eorum, quibus indigemus duntaxat neceſſariis temporibus, itidem ut medicina in morbo: tertium 113.

Digitized by Google

eorum, quibus nunquam indigemus, quos comparabat cum morbis & infirmitatibus, cujuſmodi ſunt ſocii infidi.

114. Rurſus ſociorũ, inquit, alterius generis tria ſunt. Vnum eorum, qui nos juvat [a] corpore & pecunia. hi fideles ſunt. Alterum eorum eſt, qui propter leve emolumentum nos lædũt. hi non ſunt [a] fideles. Tertium eorum eſt, qui vultu amicitiam præ ſe ferunt, cum animo ſint a nobis alieno. hi egent noſtra opera magis quam nos illorum.

[a] ſua anima. ſchol. corpore ſuo.

[a] fidi in amicitia.

Qui propter &c.) qui accipiunt a nobis quibus indigent & lædunt.

115. Filio ita præcipiebat, amicitiam contracturus cum aliquo, contrahito cum eo, cujus amicitia tibi ornamẽto futura ſit: qui te decoret, ſi eum honoraveris: & juvet, ſi ejus ope indigueris [a]: qui loquentem juſtificet, * indignantem ferat. Talem nactus, ſi contigerit aliquid tibi mali accidere propter eum, ne tamen dolore afficiant te ejus viæ.

[a] Hæc aliter in MS. Vide ſi habes.

* provocãtem ad iram.

Non veniet tibi ab eo infortunium, & ſi dixeris aliquid juſtificabit te, nec dolore afficient te viæ ipſius. Aliter, non prophanabis honorem tuum ſi didiceris de viis ejus.

116. Amicus hominis intellectus, & hoſtis cupiditas.

Qui ſequitur cupiditatem ſuam hoſtis eſt ſuiipſius.

117. Vt vultus ſerenus amicitiam ſtabilit, ita ſeverus ac tetricus eandem diſſolvit.

118. Optima beſtiarum eget [a] virga, qua caſtigetur. Optima fœminarum eget marito, qui eam regat. Scientiſsimus hominum eget conſilio aliorum, quo res ſuas rectius adminiſtret.

[a] baculo, flagello.

119. Si te injuria affecerit ſocius tuus, reprehende eum inter te & ipſum ſolũ. Quod ſi audierit te, jam lucratus eſt eum. Si non audierit, dicito ei coram uno atque altero, ut audiant rem. Quod ſi ne tum quidem audierit, habeto eum pro ſocio vili.

120. Verus

Digitized by Google

Verus amicus non pecuniam modo, ſed etiam vitam 120.
negligit, ut eum, cui charior eſt quam ipſe ſibi, liberet.

Amo, inquit, eum qui mihi vitium meum indicat in- 121.
ter me & ipſum ſolum. Talis, ſi quando occurreret aut obviam fieret, præferendũ eſſe dicebat ei, qui, quoties amicũ obvium habet, illi aureum denariũ dat. Addebat etiam ſe nunquam probaſſe eum, qui in ſua errata non inquireret.

Quum ex eo quidam quæreret quid eſſet amicitia? re- 122.
ſpondit, ubi animi conjuncti ſunt, eademque ſtudia & eædem voluntates.

Foramen acus anguſtum non eſt duobus amantibus, 123.
nec † latus mundus ſatis duobus inimicis.

† mundus quam late patet.

Si voles ſcire utrum quis te amet, an odio habeat, ex- 124.
plora cor tuum, & vide quo ſit erga illum modo adfectũ. *Nam ut in aqua facies faciei, ſic cor hominis homini reſpondet, ut ait Salomo. Proverb. 27. 19.*

Homo videt ex corde ſuo qd in corde ſocii.

Quærenti quis plurimum ipſum amaret? Is reſpondit, 125.
cujus ſunt plurima in me merita, " aut mea in ipſum malefacta.

" abeſt a MS.

Interrogatus quando aliquis cognoſceret amantem ſe? 126.
reſpondit, Quando corda & linguæ concurrunt ad amandum: non " vident, niſi amorem ejus, nec loquuntur niſi laudem ejus.

" Speculãtur, lectio varians, nos latent niſi in amore ipſius.

Amorem ejus) aut quæ in eo amanda. q. d. quicquid vident, in eo amant.

In amicum noli curioſius inquirere, ne forte inimicus 127.
aliquis tibi narret de eo, quod falſum ſit, atque ita dirimat amicitiam, quæ inter te & illum.

Cum amico noli ſimulate agere aut in eum inquirere.

Amicum dicebat juvandum eſſe vita & pecunia: * no- 128.
tum beneficiis & comitate: homines plebeios & vulgares ſalutandos,

* cognatum.

ſalutandos, excipiendoſque vultu hilari ac læto: inimico vero dandam eſse eleemoſynam.

Vita) anima, quod alii exponunt corpore.

129. Cave ab eo qui te amat propter neceſsitatem ſuam. Nam ceſsante neceſsitate ceſsabit amicitia ejus.

Hoc aliis verbis extulit autor ad Herennium, Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus ſequuti ſunt, hi ſimulatque fortuna elapſa eſt, devolant omnes. Cum enim receſsit res ea, quæ fuit conſuetudinis cauſſa, nihil ſupereſt, quare poſsint in amicitia retineri.

130. Nemo, inquit, me dilexit, quem non viciſsim dilexerim ſincere per omnem vitam meam. Nemo me odio proſecutus eſt, pro quo non oraverim Deum, ut illi meliorem mentem daret. Nullius arcanum mihi creditum unquã patefeci. Non aggreſsus ſum rem inhoneſtam. Non aſſenſus ſum unquam ulli rei, quam poſtea revocaverim, etiamſi facienda eſset jactura totius rei familiaris. Tum dixi, In omni re bona eſt patientia, prçterquam in re amici. Nam qui audit convicia, quæ in amicum dicuntur, ſilere non debet, ne illum a ſe alienet.

131. Ne fallat te amor regis: non enim diuturnus eſt. nam abit ut umbra tranſiens.

Ne fallat te) ne decipiat cor tuum & ne glorieris de eo. Sumptum ex ſcholio.

132. Si habes amicos principes, ne metuę regem.

133. Cuidam cum quæreret quis eſset hominũ pigerrimus? Is, inquit, qui pigratur ſibi acquirere amicos; ſed pigrior eo eſt, qui acquiſitos perdit.

134. Fugienda ſocietas eorum, a quibus nihil boni diſcitur.

135. Quanã re probet intelligẽs ſeipsũ? ferẽdo malam uxorẽ.

136. Mala mulier ſimilis eſt lupo, qui cutem mutat non naturam.

137. Nulla

Digitized by Google

Nulla pejor ſocietas, quam malæ uxoris. 137.

Gloria & ignominia hominis ex ſocio quicum conſue- 138.
tudinem habet.

Cum interrogaretur quid optimum homini eſſet? in- 139.
tellectus, inquit, quo vivat. Quid proximum, ſi is defi-
ciat? pecunia: nam ea honoratiorem reddit hominem.
Quid tertium, ſi nec pecunia adſit? [a] Vxor, quę vitia ipſius
tegat. Quid quartum, ſi nec illa obtigerit? ſilentium,
inquit. Quod ſi & hoc deſit, tum judico ei optimum
eſſe ſepulchrum.

[a] *Prudens, ut ibi, Qui invenit uxorem, invenit bonum.*

Silentium) quo tegat vitia ſua. Nam ſtultus dum ſilet pro ſapiente habetur.

Ne fidito ei cui das, licet ſe memorem verbis declaret, 140.
donec ſubtraxeris quod dare ſolitus es.

Amicum paraturus prius eum ad iram provocato. Si, 141.
dum iratus eſt, confitetur ſe tibi obnoxium eſſe, retine
eum: ſin minus, relinque.

Si perſeverat tecum ire in juſtitia et veritate, adjunge te ei. Nam eſt fidus.

Quod inimicum neſcire vis, ne patefacito amico. *Tu-* 142.
*tiſsimum eſt ſilere, quod arcanum eſſe velis. Nam pauci ex
multis ſilentii fidem ſervant.*

Quidam cum arcanum ſuum amico narraſſet, ex eoque 143.
quæreret, num bene intellexiſſet, Intellexi, inquit: ſed
oblitus ſum.

q. d. nemini patefaciam illud.

Interrogatus quid eſſet celare arcanum? reſpondit, Si 144.
nec indicantem prodideris, nec rem indicatam.

In MS. nec increpo indicantem & celo indicatum.

Rogatus quomodo celaret arcanum? Pono, inquit, 145.
cor meum ſepulchrum ejus. *quaſi diceret, ſepliendo in cor-
de meo. Hoc vult, ut mortuus nunquam exit e ſepulchro,*

Digitized by Google

ſic nec arcanum mihi commiſſum e corde meo. Vel, pono illud in corde ut in ſepulchro, unde nunquam exit.

146. Quamdiu arcanum contineo, eſt mihi captivi inſtar: ſimulac patefecero, reddor ipſius captivus.

147. Idem dicebat arcanum inter duos eſſe. Ubi ad tertium perveniſſet non amplius arcanum eſſe: non enim celari poſſe.

148. Daturus aliquid, ſi metuis ne pœniteat, prius nega quam des aut promittas. Quod ſi promiſeris, præſtandum eſt: turpe enim eſt dicere, Non dabo, poſtquam dixeris, Dabo.

149. Cum taciturnus eſſet, quærenti cauſſam; Quum loquor, inquit, mox pœnitet: quum ſileo, non pœnitet. *Quadrat cum illo, locutum fuiſſe ſæpe pœnituit, tacuiſſe nunquam.*

150. Item dicebat, Cum loquor, verbum dominatur in me: cum ſileo, ego dominor in illud.

Quadrat cum illo, ſecretum occultum apud tè in vinculis eſt: patefactum, te vinctum habet.

151. Semel pœnituit tacuiſse, bis locutum eſse.

152. Eſt ſapientis non eloqui quod nociturum putat, ſi enuntietur, & nihil profuturum ſcit, ſi taceatur.

153. Ita dicebat [a] cuſtodiendam eſse linguam ut pecuniam. [a] *recondendam.*

154. Præſtat perire morbo ſilētii, quam morbo loquacitatis.

155. Niſi adſunt doctrinæ opes, ſile.

156. In cultu divino nihil melius ſilentio & ſpe.

157. Taciturnitas metum conciliat.

Vel reverentiam. vult dicere, Quo taciturnior quis eſt, eo majore autoritate eſt apud ſuos, eo magis ipſum reverētur.

158. Mors hominis ex lapſu linguæ, non ex lapſu pedis. Nam lapſus pedis ſanari poteſt paucis diebus.

159. Arbor ſilentii fructus pacis.

169. Potior

Potior eſt ſtultus ſilens ſapiente verboſo aut loquace. 160.
Stultus, dum ſilet, ſemiſapiens eſt. 161.

Gymnaſium ingreſsus * cum diu tacuiſset, laudanti- 162.
bus ipſum qui aderant, Vtilitas, inquit, quæ ex aure manat
ad me redit: quæ ex lingua, ad alios.

* quidam Arabs videlicet.

Laudātibus) dicebāt, jure dicūt te eſſe ex ingenuis Arabiæ.

Rex quidam vituperantibus orationem ac dicentibus: 163.
ſilentium præferendum eſse etiam prudenti ſermoni, Bona verba, inquit. Nam qui loqui novit prudenter, etiam tacere novit.

Dicere ſolet migrandum eſse e loco, ubi rex non time- 164.
retur. *nam ſcilicet metu magiſtratuum contineri homines in officio. Vnde quidam ait, Niſi eſſet metus, alter alterum vivum devoraret.*

Noli habitare in urbe, ubi nec rex juſtus eſt, nec me- 165.
dicus [a] peritus, nec forum rerum venalium, nec flumen.

[a] *In MS. nec ſapiens. Sed in ſcholio medicus ſapiens, id eſt peritus.*

Regem eſse ajebat ſimilem igni, ad quem non expedi- 166.
ret propius accedere, neque longius ab eo abeſse; quod ibi periculum ſit a combuſtione, hic a frigore. *ita eſt profecto. Societas potentum multis pernicioſa fuit: fuga eorundem dignitatis expers eſt.*

Peſsimum eſse dicebat in divitiis, * non audere iis uti: 167.
in amicitia repellere amicum inopem aut miſerum: in regno, ſi regem metuat innocens: in terris, ſi nec abundet rebus neceſsariis, nec in ea tuto habitare liceat.

* non exper dere illas ad uſum ſuũ.

Iuſtitia regis cōducibilior eſt populo quā ubertas anni. 168.

Regum aulas comparabat cum altiſsimo mōte, in quo 169.
eſsent fructus optimi & feræ peſsimæ.

In quem aſcendere quidem arduum eſſet, ſed manere ibi magis arduum & periculoſum.

Digitized by Google

170. Quatuor ſunt, cum quibus nunquam eſt litigandum, videlicet, Deus, Rex, Parentes & Præceptores.

171. Sapiens quidam ad ſupplicium ducebatur. Ei occurrit uxor flens & ejulans: ad quam cōverſus, Mea uxor, inquit, cur ita fles? Cui illa, quia damnatus es injuſta de cauſa. Quid? inquit, an malles me juſta damnatum eſse?

172. Dicebat divitias tegere maculas hominum, eoſque veraces facere, cum maxime mentirentur: e contrario ajebat intelligentiam pauperis contemni ab hominibus, & ſapientiam ipſius reputari pro ſtultitia. *Addit Scholiaſtes eos qui ſcientiam habent abſque divitiis, ſimiles eſſe viatoribus, qui calceis careant: contra divitias abſq; ſcientia ſimiles eſſe calceis ſine viatoribus, qui iis recte uti norint.*

173. Cum veſtibus ſordidis ac detritis indutus eſset, ac dives quidam ei diceret talem veſtitum dedecere ſapiētem, Dignitas, inquit, ſapientię non eſt in veſtibus: ſed in ſcientia rerum & vita ſecundum virtutem acta.

Vel, dignitas vera non ſunt veſtes pretioſæ, ſed ſcientia pura.

174. Iactabat ſe nunquam vindicaſse injuriam ſibi illatam, aut malum malo reddidiſse. Quærenti cauſsam, Quia inquit, ſi vir honoratus erat, qui injuriam faciebat, æquum erat eum ferre: ſin ſtultus erat, non decebat me cum ſtulto contendere.

175. Animus bonus, vicinus bonus, habitatio bona & veſtes mundæ prorogant ætatem hominis in bono.

Animus bonus) ſua ſorte contentus: aut capiendum ut ibi, Animus bonus in re mala dimidium eſt mali. Senſus eſt animus æquus.

176. Cui Deus largitur animum bonum, is eſt ex filiis futuri ſeculi. *hoc eſt, fruetur vita beata, quæ promiſſa piis in futuro ſeculo, & poſt hanc vitam.*

177. Cui

Cui Deus hæc quatuor conceſſerit, cum non lædet ja- 177.
ctura rerum temporalium, Spiritum quietum, ordinem certum in re familiari aut victu parando, ſermonem verum & fidem.

Jactura rerum temporalium) *id quod prohibitum ei in mundo, ut ſunt divitiæ, voluptates hujus mundi.*
Spiritum quietum*) *ſcientiam quietam*, *hoc eſt animum ſuo contentum, qui etiam decreta Dei contra ſe ſuſcipit cum gaudio.

Mirari ſe ajebat, cum ſervos pecunia emamus, quod li- 178.
beros homines non adjungeremus nobis beneficiis aut morum probitate.

Hæc quinque vitam ſecuram nedum tutam præſtant, 179.
Neminem lædere, æquo animo eſſe, vitare impios aut hypocritas, bona inſtitutio ſive diſciplina & opera bona.

Præcipiebat viſitandos eſſe amicos per intervalla lon- 180.
ginqua: item dicebat, Si amari vis, viſita raro: ſi odio eſſe, viſita ſæpe.

Qui viſitat, * cui gravis ipſe eſt, auferet contemptum 181.
& ignominiam.

* *qui non eſt amicus ei ex animo. Vide ſcholia.*

Ne tibi grave ſit ire ad viſitandum ægrotum milliare 182.
unum: & ad conciliandum pacem inter homines, duo: & ad honorem Creatoris, tria.

Vt pluvia ſi continua fuerit, moleſta eſt, licet homines 183.
pro ea impetranda preces concipere ſoleant: ita viſitatio, ſi frequens ſit, odioſa eſt; ſi ſuo tempore fiat & rarius, gratiſsima eſt.

Moleſtus viſitator gravior eſt ægroto, quam ipſe mor- 184.
bus: *vel ſic*, morbum ferre ægro facilius eſt, quam moleſtum viſitatorem.

Aegrotus quidā cum animo mœſto eſſet, quærentibus 185.

Digitized by Google

cauſsam, reſpondit ſe mœſtum eſse propter iniquitates, quas plurimas admiſiſset. Cum iterum quæreretur ex eo, quid potiſsimum deſideraret? Expiationem, inquit. Rurſus dicentibus, Vocabimus ne medicum? Ipſe eſt, inquit, qui me ægrotum fecit, ſive qui mihi hunc morbum conciliavit.

186. Homines moleſti Deo & hominibus exoſi ſunt.

187. Hæ ſunt actiones, hæc ſtudia hominis moleſti. Venit in concilium aliorum abſque conſenſu eorum: ridet quo tempore illi dolent: accumbit menſæ non vocatus: immiſcet ſe liti non ſuæ: ſedet in loco, qui ipſum non decet: conſulit non petenti conſilium ipſius: adjungit ſe ei, qui ſocietatem ipſius non quærit: cumque ſit durus in petendo, impurus in actionibus, orationem finire non poteſt & arcanum alterius patefacit.

188. Cum ex hoc numero quidam ad ægrotum quendam veniſset, ac de morbo quæſiviſset, reſponſumque ei fuiſset, Iſto morbi genere, inquit, obiit pater meus. Ad hunc ſermonem cum ægrotus non parum turbaretur & excandeſceret, tum ille iterum, Noli excandeſcere ob id quod tibi dixi: preces fundam apud Deum, & deprecabor pro te. Ibi amici qui aſsidebant, Ita fac, inquiunt: ſed hoc adde precibus tuis & pete a Deo, * ut nos liberet ab homine moleſto.

*ne videamus amplius hominem moleſtũ.

189. Nihil rarius his duobus, Amico fideli, & pecunia juſte acquiſita.

190. Vide etiam atque etiam quos amicos aut ſocios tibi adſciſcas. Nam ſi viri boni fuerint, habeberis etiam talis: contra tibi eveniet, ſi mali fuerint.

191. Nactus amicum certum ac fidum cuſtodi eum ut pupillam oculi tui.

192. Ajebat ſapientiam eſse optimam hæreditatem, eamq;

ornare

Digitized by Google

ornare imprimis ſilentium.

Dicebat nihil prodeſſe viſum oculorum, ubi mens cæca eſſet. 193.

Scitum illud, ὁ νοῦς ἀκούει καὶ ὁρᾷ· τὰ δὲ λοιπὰ κωφὰ καὶ τυφλά: *mens audit, mens videt: cetera omnia ſurda & cæca.*

De mendacio dicebat, quod eſſet clavis delictorum,& quod pedibus careret. *Siquidem longe ire non poteſt, quin ſtatim deprehendatur. Quo pertinet & illud, Mendacium opus breve. ſenſus eſt, Non diu durat, ſtatim pateſit. Quod Salomo ſignificat cum ſic ait, Lingua mendax ad momentum.* 194. Prov. 12. 19.

Dicere ſolet, multum riſum ſignum eſse ſtultitiæ. *Quod vulgo innotuit hoc verſiculo, Per riſum multum poteris cognoſcere ſtultum.* 195.

Ajebat abſque diſciplina omnes homines pares eſse, nam quod alii aliis præſtarent, id eo fieri, quod melius inſtituti eſſent. Addebat nihil prodeſse intellectum abſque diſciplina. 196.

Interroganti quid eſset ſtultitia? Eſt, inquit, morbus inſanabilis. *Porro varia ſunt genera ſtultorũ. Loquitur autem de iis, ut exiſtimo, qui ſapientiam & diſciplinam omnem contemnunt. Nam tales inſanibiles ſunt. Non enim admittunt ullas admonitiones.* 197.

Idem dicebat, Neminem ita arguere intelligentem ut ipſe ſeipſum. Nam intelligens in hoc diſsimilis eſt a ſtulto, qui arguens alios ſibi condonat omnia: contra intelligens nulli minus ignoſcit quam ſibi, dum ipſum pœnitet admiſsi & de ſe pœnas ſumit, cura penſans quod incogitantia commiſsum eſt. 198.

Roganti quem aptum eſse putaret ad regendos homines? Eum, inquit, quem fortuna probe exercuit. 199.

Nemo diſcit niſi ut ſciat: dies autem docet, quod antea neſciebat. 200.

97. Eum dicebat *a* ad ſapientiam perveniſſe, qui brevis eſſet in ſermone, minimeque verboſus, ſive qui reſecaret ſuperflua, & teneret viam compendii.

a ad id pervenit M S.

98. Rogatus quid eſſet fiducia in Deum? qua Deo, inquit, fretus homo res ſuas omnes ei committit.

99. Vt dies oculatis viſum conciliat, & veſpertilioni cæcitatem: ſic diſciplina ab intelligente aut erudito repellit ſtultitiam, eandemque addit fatuo & inſipienti.

100. Stultũ ferre quam ſemiſtultũ ſatius eſt. *Semiſtultus dicitur, qui cum ſtultus ſit, tamen ſibi pulchre ſapere videtur. Stultus autem qui etiam iudicio ſuo ſtultus eſt, quem ſtultum perfectum appellant. De hoc ſapiens noſter, Vidiſti virum ſapientem in oculis ſuis, ſpes eſt de ſtulto major quam de illo.*

101. Ne quære ſocietatem abſque fide, neque ſeculum futurum abſque opere, neque amorem mulierum abſque diſciplina, neque commodum ex damno alterius. *hoc dictum adſcribitur gymnoſophiſtis ſive ſapientibus Indiæ. Abſque diſciplina) niſi fueris probe inſtitutus, & honeſtis moribus imbutus. Nam fœminarum odium eſt homo ruſticus & inurbanus.*

102. Ariſtoteles in epiſtola quadam ad Alexandrum, Ita regna, inquit, ut ameris a ſubditis: amaberis autem ſi in eos benignus fueris. Præſtat ſane beneficiis & benevolentia regnum tenere, quam vi ac metu. Quid enim prodeſt poſſeſſio corporum? nam poſſeſſio ea demum vera eſt, qua quis corda & animos poſſidet. Corpora enim animos ſequuntur.

103. Amicum fidelem nactus, retine eum: nam alium non facile invenies.

104. Ex Sopho cum quæreretur, quo ſocio utendum eſſe putaret: Eo, inquit, quem inventurus non es, ſi amiſeris.

105. Qui

Qui incitat, frater eſt homicidæ. 105.

Filio dicebat, Ne commuta veterem amicum cum no- 106.
vo, quamdiu cor [a] ejus tecum eſt. [a] rectum.

vult dicere, quamdiu non eſt a te animo alieno.

Ne paucus ſit in oculis tuis inimicus unus, neve multi 107.
ſint amici mille. *hoc videtur velle, cum habebis unum ini-
micum, exiſtimato te multos habere: contra cum multos ha-
bebis vulgares amicos, exiſtimato te paucos habere, aut poti-
us nullos, nam vulgares amici non ſunt amici. Ex quo illud
ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος.*

Quod læva abſque dextra, id eſt homo abſque amicis. 108.
*Homo amicis carens eſt ſimilis ei qui lævam habet abſq;
dextra.*

Cum unum ex amicis amiſiſset, Cecidit, inquit, mem- 109.
brum de membris meis.

Cum rogaretur utrum magis diligeret fratrem an ami. 110.
cum? Non diligo, inquit, fratrem meum, niſi mihi ami-
cus fuerit.

In MS. *niſi conjunctus mihi fuerit amore integro &
perfecto.*

Hæc tria eſse ajebat indicia ſtultitiæ, reprehendere [a] ali- 111.
um, in quo ipſe reprehendendus ſis: petere a proximo,
* quod nunquam tibi uſui futurum ſit: lædere vicinum
ob rem nihil tibi profuturam.

[a] vel, in alio vitiū ℘ in te. * vel, cujus non indiges.

Hæc tria dicebat amicitiam puram & ſinceram effice-
re. Si amicum obvium prior ſalutaveris, Si venienti ad 112.
te latam ſedem paraveris, Si denique aptis & convenien-
tibus epithetis eum com pellaveris.

Tria eſse dicebat genera ſociorum. Vnum eorum, qui- 113.
bus carere nunquam poſsumus, non minus quam cibo ac
potu: alterum eorum, quibus indigemus duntaxat neceſ-
ſariis temporibus, itidem ut medicina in morbo: tertium

Digitized by Google

eorum, quibus nunquam indigemus, quos comparabat cum morbis & infirmitatibus, cujuſmodi ſunt ſocii infidi.

114. Rurſus ſociorũ, inquit, alterius generis tria ſunt. Vnum eorum, qui nos juvat [a] corpore & pecunia. hi fideles ſunt. Alterum eorum eſt, qui propter leve emolumentum nos lædũt. hi non ſunt [a] fideles. Tertium eorum eſt, qui vultu amicitiam præ ſe ferunt, cum animo ſint a nobis alieno. hi egent noſtra opera magis quam nos illorum.

[a] ſua anima, ſchol. corpore ſuo.

[a] fidi in amicitia.

Qui propter &c.) qui accipiunt a nobis quibus indigent & læ ſunt.

115. Filio ita præcipiebat, amicitiam contracturus cum aliquo, contrahito cum eo, cujus amicitia tibi ornamẽto futura ſit: qui te decoret, ſi eum honoraveris: & juvet, ſi ejus ope indigueris [a]: qui loquentem juſtificet, * indignantem ferat. Talem nactus, ſi contigerit aliquid tibi mali accidere propter eum, ne tamen dolore afficiant te ejus viæ.

[a] Hæc aliter in MS. Vide ſi habes.

* provocãtem ad iram.

Non veniet tibi ab eo infortunium, & ſi dixeris aliquid juſtificabit te, nec dolore afficient te viæ ipſius. Aliter, non prophanabis honorem tuum ſi didiceris de viis ejus.

116. Amicus hominis intellectus, & hoſtis cupiditas.

Qui ſequitur cupiditatem ſuam hoſtis eſt ſuipſius.

117. Vt vultus ſerenus amicitiam ſtabilit, ita ſeverus ac tetricus eandem diſſolvit.

118. Optima beſtiarum eget [a] virga, qua caſtigetur. Optima fœminarum eget marito, qui eam regat. Scientiſsimus hominum eget conſilio aliorum, quo res ſuas rectius adminiſtret.

[a] baculo, flagello.

119. Si te injuria affecerit ſocius tuus, reprehende eum inter te & ipſum ſolũ. Quod ſi audierit te, jam lucratus eſt eum. Si non audierit, dicito ei coram uno atque altero, ut audiant rem. Quod ſi ne tum quidem audierit, habeto eum pro ſocio vili.

Verus amicus non pecuniam modo, ſed etiam vitam 120.
negligit, ut eum, cui charior eſt quam ipſe ſibi, liberet.

Amo, inquit, eum qui mihi vitium meum indicat in- 121.
ter me & ipſum ſolum. Talis, ſi quando occurreret aut ob-
viam fieret, præferendū eſſe dicebat ei, qui, quoties amicū
obvium habet, illi aureum denariū dat. Addebat etiam ſe
nunquam probaſſe eum, qui in ſua errata non inquireret.

Quum ex eo quidam quæreret quid eſſet amicitia? re- 122.
ſpondit, ubi animi conjuncti ſunt, eademque ſtudia &
eædem voluntates.

Foramen acus anguſtum non eſt duobus amantibus, 123.
nec † latus mundus ſatis duobus inimicis.

† *mundus quam late patet.*

Si voles ſcire utrum quis te amet, an odio habeat, ex- 124.
plora cor tuum, & vide quo ſit erga illum modo adfectū.
Nam ut in aqua facies faciei, ſic cor hominis homini reſpon-
det, ut ait Salomo. Proverb. 27. 19.

Homo videt ex corde ſuo qd in corde ſocii.

Quærenti quis plurimum ipſum amaret? Is reſpondit, 125.
cujus ſunt plurima in me merita, " aut mea in ipſum ma-
lefacta.

" abeſt a MS.

Interrogatus quando aliquis cognoſceret amantem ſe? 126.
reſpondit, Quando corda & linguæ concurrunt ad aman-
dum: non " vident, niſi amorem ejus, nec loquuntur niſi
laudem ejus.

Amorem ejus) aut quæ in eo amanda. q. d. quicquid vident,
in eo amant.

" Speculātur, lectio varians, nos latent niſi in amore ipſius.

In amicum noli curioſius inquirere, ne forte inimicus 127.
aliquis tibi narret de eo, quod falſum ſit, atque ita diri-
mat amicitiam, quæ inter te & illum.

Cum amico noli ſimulate agere aut in eum inquirere.

Amicum dicebat juvandum eſſe vita & pecunia: * no- 128.
tum beneficiis & comitate: homines plebeios & vulgares
ſalutandos,

* cognatum.

ſalutandos, excipiendoſque vultu hilari ac læto: inimico vero dandam eſse eleemoſynam.

Vita) anima, quod alii exponunt corpore.

129. Cave ab eo qui te amat propter neceſsitatem ſuam. Nam ceſsante neceſsitate ceſsabit amicitia ejus.

Hoc aliis verbis extulit autor ad Herennium, Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus ſequuti ſunt, hi ſimulatque fortuna elapſa eſt, devolant omnes. Cum enim receſsit res ea, quæ fuit conſuetudinis cauſſa, nihil ſupereſt, quare poſsint in amicitia retineri.

130. Nemo, inquit, me dilexit, quem non viciſsim dilexerim ſincere per omnem vitam meam. Nemo me odio proſecutus eſt, pro quo non oraverim Deum, ut illi meliorem mentem daret. Nullius arcanum mihi creditum unquã patefeci. Non aggreſsus ſum rem inhoneſtam. Non aſſenſus ſum unquam ulli rei, quam poſtea revocaverim, etiamſi facienda eſset jactura totius rei familiaris. Tum dixi, In omni re bona eſt patientia, præterquam in re amici. Nam qui audit convicia, quæ in amicum dicuntur, ſilere non debet, ne illum a ſe alienet.

131. Ne fallat te amor regis: non enim diuturnus eſt. nam abit ut umbra tranſiens.

Ne fallat te) ne decipiat cor tuum & ne glorieris de eo. Sumptum ex ſcholio.

132. Si habes amicos principes, ne metue regem.

133. Cuidam cum quæreret quis eſset hominũ pigerrimus? Is, inquit, qui pigratur ſibi acquirere amicos; ſed pigrior eo eſt, qui acquiſitos perdit.

134. Fugienda ſocietas eorum, a quibus nihil boni diſcitur.

135. Quanã re probet intelligẽs ſeipsũ? ferẽdo malam uxorẽ.

136. Mala mulier ſimilis eſt lupo, qui cutem mutat non naturam.

137. Nulla

Digitized by Google

Nulla pejor ſocietas, quam malæ uxoris. 137.

Gloria & ignominia hominis ex ſocio quicum conſue- 138.
tudinem habet.

Cum interrogaretur quid optimum homini eſſet? in- 139.
tellectus, inquit, quo vivat. Quid proximum, ſi is defi-
ciat? pecunia: nam ea honoratiorem reddit hominem.
Quid tertium, ſi nec pecunia adſit? [a] Vxor, quę vitia ipſius
tegat. Quid quartum, ſi nec illa obtigerit? ſilentium,
inquit. Quod ſi & hoc deſit, tum judico ei optimum
eſſe ſepulchrum.

a Prudens, ut ibi, Qui invenit uxorem, invenit bonum.

Silentium) quo tegat vitia ſua. Nam ſtultus dum ſilet
pro ſapiente habetur.

Ne fidito ei cui das, licet ſe memorem verbis declaret, 140.
donec ſubtraxeris quod dare ſolitus es.

Amicum paraturus prius eum ad iram provocato. Si, 141.
dum iratus eſt, confitetur ſe tibi obnoxium eſſe, retine
eum: ſin minus, relinque.

Si perſeverat tecum ire in juſtitia et veritate, adjunge te
ei. Nam eſt fidus.

Quod inimicum neſcire vis, ne patefacito amico. *Tu-* 142.
tiſsimum eſt ſilere, quod arcanum eſſe velis. Nam pauci ex
multis ſilentii fidem ſervant.

Quidam cum arcanum ſuum amico narraſſet, ex eoque 143.
quæreret, num bene intellexiſſet, Intellexi, inquit: ſed
oblitus ſum.

q. d. nemini patefaciam illud.

Interrogatus quid eſſet celare arcanum? reſpondit, Si 144.
nec indicantem prodideris, nec rem indicatam.

In MS. nec increpo indicantem & celo indicatum.

Rogatus quomodo celaret arcanum? Pono, inquit, 145.
cor meum ſepulchrum ejus. *quaſi diceret, ſepliendo in cor-*
de meo. Hoc vult, ut mortuus nunquam exit e ſepulchro,

Digitized by Google

ſic nec arcanum mihi commiſſum e corde meo. Vel, pono illud in corde ut in ſepulchro, unde nunquam exit.

146. Quamdiu arcanum contineo, eſt mihi captivi inſtar: ſimulac patefecero, reddor ipſius captivus.

147. Idem dicebat arcanum inter duos eſſe. Vbi ad tertium perveniſſet non amplius arcanum eſſe: non enim celari poſſe.

148. Daturus aliquid, ſi metuis ne pœniteat, prius nega quam des aut promittas. Quod ſi promiſeris, præſtandum eſt: turpe enim eſt dicere, Non dabo, poſtquam dixeris, Dabo.

149. Cum taciturnus eſſet, quęrenti cauſſam; Quum loquor, inquit, mox pœnitet: quum ſileo, non pœnitet. *Quadrat cum illo, locutum fuiſſe ſæpe pænituit, tacuiſſe nunquam.*

150. Item dicebat, Cum loquor, verbum dominatur in me: cum ſileo, ego dominor in illud.

Quadrat cum illo, ſecretum occultum apud te in vinculis eſt: patefactum, te vinctum habet.

151. Semel pœnituit tacuiſse, bis locutum eſse.

152. Eſt ſapientis non eloqui quod nociturum putat, ſi enuntietur, & nihil profuturum ſcit, ſi taceatur.

153. Ita dicebat [a] cuſtodiendam eſse linguam ut pecuniam. [a] *recondendam.*

154. Præſtat perire morbo ſilētii, quam morbo loquacitatis.

155. Niſi adſunt doctrinæ opes, ſile.

156. In cultu divino nihil melius ſilentio & ſpe.

157. Taciturnitas metum conciliat.

Vel reverentiam. vult dicere, Quo taciturnior quis eſt, eo majore autoritate eſt apud ſuos, eo magis ipſum reverētur.

158. Mors hominis ex lapſu linguæ, non ex lapſu pedis. Nam lapſus pedis ſanari poteſt paucis diebus.

159. Arbor ſilentii fructus pacis.

169. Potior

Potior eſt ſtultus ſilens ſapiente verboſo aut loquace. 160.

Stultus, dum ſilet, ſemiſapiens eſt. 161.

Gymnaſium ingreſsus * cum diu tacuiſset, laudantibus ipſum qui aderant, Vtilitas, inquit, quæ ex aure manat ad me redit: quæ ex lingua, ad alios. 162.

* quidam Arabs videlicet.

Laudātibus) dicebāt, jure dicūt te eſſe ex ingenuis Arabia.

Rex quidam vituperantibus orationem ac dicentibus: ſilentium præferendum eſse etiam prudenti ſermoni, Bona verba, inquit. Nam qui loqui novit prudenter, etiam tacere novit. 163.

Dicere ſolet migrandum eſse e loco, ubi rex non timetur. *nam ſcilicet metu magiſtratuum contineri homines in officio. Vnde quidam ait, Niſi eſſet metus, alter alterum vivum devoraret.* 164.

Noli habitare in urbe, ubi nec rex juſtus eſt, nec medicus [a] peritus, nec forum rerum venalium, nec flumen. 165.

[a] *In MS. nec ſapiens. Sed in ſcholio medicus ſapiens, id eſt peritus.*

Regem eſse ajebat ſimilem igni, ad quem non expediret propius accedere, neque longius ab eo abeſse; quod ibi periculum ſit a combuſtione, hic a frigore. *ita eſt profecto. Societas potentum multis pernicioſa fuit: fuga eorundem dignitatis expers eſt.* 166.

Peſsimum eſse dicebat in divitiis, * non audere iis uti: in amicitia repellere amicum inopem aut miſerum: in regno, ſi regem metuat innocens: in terris, ſi nec abundet rebus neceſsariis, nec in ea tuto habitare liceat. 167.

* non expendere illas ad uſum ſuũ.

Iuſtitia regis cõducibilior eſt populo quã ubertas anni. 168.

Regum aulas comparabat cum altiſsimo mõte, in quo eſsent fructus optimi & feræ peſsimæ. 169.

In quem aſcendere quidem arduum eſſet, ſed manere ibi magis arduum & pericoloſum.

170. Quatuor ſunt, cum quibus nunquam eſt litigandum, videlicet, Deus, Rex, Parentes & Præceptores.

171. Sapiens quidam ad ſupplicium ducebatur. Ei occurrit uxor flens & ejulans: ad quam cõverſus, Mea uxor, inquit, cur ita fles? Cui illa, quia damnatus es injuſta de cauſa. Quid? inquit, an malles me juſta damnatum eſse?

172. Dicebat divitias tegere maculas hominum, eoſque veraces facere, cum maxime mentirentur: e contrario ajebat intelligentiam pauperis contemni ab hominibus, & ſapientiam ipſius reputari pro ſtultitia. *Addit Scholiaſtes eos qui ſcientiam habent abſque divitiis, ſimiles eſſe viatoribus, qui calceis careant: contra divitias abſq; ſcientia ſimiles eſſe calceis ſine viatoribus, qui iis recte uti norint.*

173. Cum veſtibus ſordidis ac detritis indutus eſset, ac dives quidam ei diceret talem veſtitum dedecere ſapiẽtem, Dignitas, inquit, ſapientię non eſt in veſtibus: ſed in ſcientia rerum & vita ſecundum virtutem acta.

Vel, dignitas vera non ſunt veſtes pretioſæ, ſed ſcientia pura.

174. Iactabat ſe nunquam vindicaſse injuriam ſibi illatam, aut malum malo reddidiſse. Quærenti cauſsam, Quia inquit, ſi vir honoratus erat, qui injuriam faciebat, æquum erat eum ferre: ſin ſtultus erat, non decebat me cum ſtulto contendere.

175. Animus bonus, vicinus bonus, habitatio bona & veſtes mundæ prorogant ætatem hominis in bono.

Animus bonus) ſua ſorte contentus: aut capiendum ut ibi, Animus bonus in re mala dimidium eſt mali. Senſus eſt animus æquus.

176. Cui Deus largitur animum bonum, is eſt ex filiis futuri ſeculi. *hoc eſt, fruetur vita beata, quæ promiſſa piis in futuro ſeculo, & poſt hanc vitam.*

177. Cui

Digitized by Google

Cui Deus hæc quatuor conceſſerit, eum non lædet ja- 177.
ctura rerum temporalium, Spiritum quietum, ordinem certum in re familiari aut victu parando, ſermonem verum & fidem.

Jactura rerum temporalium) id quod prohibitum ei in mundo, ut ſunt divitiæ, voluptates hujus mundi. Spiritum quietum) ſcientiam quietam, hoc eſt animum ſuo contentum, qui etiam decreta Dei contra ſe ſuſcipit cum gaudio.

Mirari ſe ajebat, cum ſervos pecunia emamus, quod li- 178.
beros homines non adjungeremus nobis beneficiis aut morum probitate.

Hæc quinque vitam ſecuram nedum tutam præſtant, 179.
Neminem lædere, æquo animo eſſe, vitare impios aut hypocritas, bona inſtitutio ſive diſciplina & opera bona.

Præcipiebat viſitandos eſſe amicos per intervalla lon- 180.
ginqua: item dicebat, Si amari vis, viſita raro: ſi odio eſſe, viſita ſæpe.

Qui viſitat, * cui gravis ipſe eſt, auferet contemptum 181.
& ignominiam.

** qui non eſt amicus ei ex animo. Vide ſcholia.*

Ne tibi grave ſit ire ad viſitandum ægrotum milliare 182.
unum: & ad conciliandum pacem inter homines, duo: & ad honorem Creatoris, tria.

Vt pluvia ſi continua fuerit, moleſta eſt, licet homines 183.
pro ea impetranda preces concipere ſoleant: ita viſitatio, ſi frequens ſit, odioſa eſt; ſi ſuo tempore fiat & rarius, gratiſsima eſt.

Moleſtus viſitator gravior eſt ægroto, quam ipſe mor- 184.
bus: *vel ſic,* morbum ferre ægro facilius eſt, quam moleſtum viſitatorem.

Aegrotus quidã cum animo mœſto eſſet, quærentibus 185.

cauſsam, reſpondit ſe mœſtum eſse propter iniquitates, quas plurimas admiſiſset. Cum iterum quæreretur ex eo, quid potiſsimum deſideraret? Expiationem, inquit. Rurſus dicentibus, Vocabimus ne medicum? Ipſe eſt, inquit, qui me ægrotum fecit, ſive qui mihi hunc morbum conciliavit.

186. Homines moleſti Deo & hominibus exoſi ſunt.

187. Hæ ſunt actiones, hæc ſtudia hominis moleſti. Venit in concilium aliorum abſque conſenſu eorum: ridet quo tempore illi dolent: accumbit menſæ non vocatus: immiſcet ſe liti non ſuæ: ſedet in loco, qui ipſum non decet: conſulit non petenti conſilium ipſius: adjungit ſe ei, qui ſocietatem ipſius non quærit: cumque ſit durus in petendo, impurus in actionibus, orationem finire non poteſt & arcanum alterius patefacit.

188. Cum ex hoc numero quidam ad ægrotum quendam veniſset, ac de morbo quæſiviſset, reſponſumque ei fuiſset, Iſto morbi genere, inquit, obiit pater meus. Ad hunc ſermonem cum ægrotus non parum turbaretur & excandeſceret, tum ille iterum, Noli excandeſcere ob id quod tibi dixi: preces fundam apud Deum, & deprecabor pro te. Ibi amici qui aſsidebant, Ita fac, inquiunt: ſed hoc adde precibus tuis & pete a Deo, * ut nos liberet ab homine moleſto.

* ne videamus amplius hominem moleſtū.

189. Nihil rarius his duobus, Amico fideli, & pecunia juſte acquiſita.

190. Vide etiam atque etiam quos amicos aut ſocios tibi adſciſcas. Nam ſi viri boni fuerint, habeberis etiam talis: contra tibi eveniet, ſi mali fuerint.

191. Nactus amicum certum ac fidum cuſtodi eum ut pupillam oculi tui.

192. Ajebat ſapientiam eſse optimam hæreditatem, eamq; ornare

ornare imprimis ſilentium.

Dicebat nihil prodeſſe viſum oculorum, ubi mens cæca eſſet. 193.

Scitum illud, Ο νοῦς ἀκούει καὶ ὁρᾷ· τὰ δὲ λοιπὰ κωφὰ καὶ τύφλα: *mens audit, mens videt: cetera omnia ſurda & cæca.*

De mendacio dicebat, quod eſſet clavis delictorum, & 194.
quod pedibus careret. *Siquidem longe ire non poteſt, quin ſtatim deprehendatur. Quo pertinet & illud, Mendacium opus breve. ſenſus eſt, Non diu durat, ſtatim patefit. Quod* Prov. 12.
Salomo ſignificat cum ſic ait, Lingua mendax ad momentum. 19.

Dicere ſolet, multum riſum ſignum eſſe ſtultitiæ. *Quod* 195.
vulgo innotuit hoc verſiculo, Per riſum multum poteris cognoſcere ſtultum.

Ajebat abſque diſciplina omnes homines pares eſſe, 196.
nam quod alii aliis præſtarent, id eo fieri, quod melius inſtituti eſſent. Addebat nihil prodeſſe intellectum abſque diſciplina.

Interroganti quid eſſet ſtultitia? Eſt, inquit, morbus in- 197.
ſanabilis. *Porro varia ſunt genera ſtultorũ. Loquitur autem de iis, ut exiſtimo, qui ſapientiam & diſciplinam omnem contemnunt. Nam tales inſanibiles ſunt. Non enim admittunt ullas admonitiones.*

Idem dicebat, Neminem ita arguere intelligentem ut 198.
ipſe ſeipſum. Nam intelligens in hoc diſsimilis eſt a ſtulto, qui arguens alios ſibi condonat omnia: contra intelligens nulli minus ignoſcit quam ſibi, dum ipſum pœnitet admiſsi & de ſe pœnas ſumit, cura penſans quod incogitantia commiſsum eſt.

Roganti quem aptum eſſe putaret ad regendos homi- 199.
nes? Eum, inquit, quem fortuna probe exercuit.

Nemo diſcit niſi ut ſciat: dies autem docet, quod antea 200.
neſciebat.

97. Eum dicebat[a] ad ſapientiam perveniſſe, qui brevis eſſet in ſermone, minimeque verboſus, ſive qui reſecaret ſuperflua, & teneret viam compendii.

[a] ad id ſuvult M S.

98. Rogatus quid eſset fiducia in Deum? qua Deo, inquit, fretus homo res ſuas omnes ei committit.

99. Vt dies oculatis viſum conciliat, & veſpertilioni cæcitatem: ſic diſciplina ab intelligente aut erudito repellit ſtultitiam, eandemque addit fatuo & inſipienti.

100. Stultũ ferre quam ſemiſtultũ ſatius eſt. *Semiſtultus dicitur, qui cum ſtultus ſit, tamen ſibi pulchre ſapere videtur. Stultus autem qui etiam judicio ſuo ſtultus eſt, quem ſtultum perfectum appellant. De hoc ſapiens noſter, Vidiſti virum ſapientem in oculis ſuis, ſpes eſt de ſtulto major quam de illo.*

101. Ne quære ſocietatem abſque fide, neque ſeculum futurum abſque opere, neque amorem mulierum abſque diſciplina, neque commodum ex damno alterius. *hoc dictum adſcribitur gymnoſophiſtis ſive ſapientibus Indiæ. Abſque diſciplina) niſi fueris probe inſtitutus, & honeſtis moribus imbutus. Nam fæminarum odium eſt homo ruſticus & inurbanus.*

102. Ariſtoteles in epiſtola quadam ad Alexandrum, Ita regna, inquit, ut ameris a ſubditis: amaberis autem ſi in eos benignus fueris. Præſtat ſane beneficiis & benevolentia regnum tenere, quam vi ac metu. Quid enim prodeſt poſseſsio corporum? nam poſseſsio ea demum vera eſt, qua quis corda & animos poſsidet. Corpora enim animos ſequuntur.

103. Amicum fidelem nactus, retine eum: nam alium non facile invenies.

104. Ex Sopho cum quæreretur, quo ſocio utendum eſse putaret: Eo, inquit, quem inventurus non es, ſi amiſeris.

105. Qui

Digitized by Google

Qui incitat, frater eſt homicidæ. 105.

Filio dicebat, Ne commuta veterem amicum cum novo, quamdiu cor [a] ejus tecum eſt. 106. [a] rectum.

vult dicere, quamdiu non eſt a te animo alieno.

Ne paucus ſit in oculis tuis inimicus unus, neve multi ſint amici mille. *hoc videtur velle, cum habebis unum inimicum, exiſtimato te multos habere: contra cum multos habebis vulgares amicos, exiſtimato te paucos habere, aut potius nullos, nam vulgares amici non ſunt amici. Ex quo illud ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος.* 107.

Quod læva abſque dextra, id eſt homo abſque amicis. 108. *Homo amicis carens eſt ſimilis ei qui lævam habet abſq; dextra.*

Cum unum ex amicis amiſiſset, Cecidit, inquit, membrum de membris meis. 109.

Cum rogaretur utrum magis diligeret fratrem an amicum? Non diligo, inquit, fratrem meum, niſi mihi amicus fuerit. 110.

In MS. *niſi conjunctus mihi fuerit amore integro & perfecto.*

Hæc tria eſse ajebat indicia ſtultitiæ, reprehendere [a] alium, in quo ipſe reprehendendus ſis: petere a proximo, [*] quod nunquam tibi uſui futurum ſit: lædere vicinum ob rem nihil tibi profuturam. 111. [a] vel, in alio vitiū [b] in te. [*] vel, cujus non indiges.

Hæc tria dicebat amicitiam puram & ſinceram efficere. Si amicum obvium prior ſalutaveris, Si venienti ad te latam ſedem paraveris, Si denique aptis & convenientibus epithetis eum compellaveris. 112.

Tria eſse dicebat genera ſociorum. Vnum eorum, quibus carere nunquam poſsumus, non minus quam cibo ac potu: alterum eorum, quibus indigemus duntaxat neceſſariis temporibus, itidem ut medicina in morbo: tertium 113.

eorum, quibus nunquam indigemus, quos comparabat cum morbis & infirmitatibus, cujuſmodi ſunt ſocii infidi.

114. Rurſus ſociorũ, inquit, alterius generis tria ſunt. Vnum eorum, qui nos juvat [a] corpore & pecunia. hi fideles ſunt. Alterum eorum eſt, qui propter leve emolumentum nos lædũt. hi non ſunt [b] fideles. Tertium eorum eſt, qui vultu amicitiam præ ſe ferunt, cum animo ſint a nobis alieno. hi egent noſtra opera magis quam nos illorum.

[a] ſua anima. ſchol. corpore ſuo.

[b] fidi in amicitia.

Qui propter &c.) qui accipiunt a nobis quibus indigent & læ̃dunt.

115. Filio ita præcipiebat, amicitiam contracturus cum aliquo, contrahito cum eo, cujus amicitia tibi ornamẽto futura ſit: qui te decoret, ſi eum honoraveris: & juvet, ſi ejus ope indigueris [a]: qui loquentem juſtificet, * indignantem ferat. Talem nactus, ſi contigerit aliquid tibi mali accidere propter eum, ne tamen dolore afficiant te ejus viæ.

[a] Hæc aliter in MS. Vide ſi habes.

* provocãtem ad iram.

Non veniet tibi ab eo infortunium, & ſi dixeris aliquid juſtificabit te, nec dolore afficient te viæ ipſius. Aliter, non prophanabis honorem tuum ſi didiceris de viis ejus.

116. Amicus hominis intellectus, & hoſtis cupiditas.

Qui ſequitur cupiditatem ſuam hoſtis eſt ſuiipſius.

117. Vt vultus ſerenus amicitiam ſtabilit, ita ſeverus ac tetricus eandem diſſolvit.

118. Optima beſtiarum eget [a] virga, qua caſtigetur. Optima fœminarum eget marito, qui eam regat. Scientiſsimus hominum eget conſilio aliorum, quo res ſuas rectius adminiſtret.

[a] baculo, flagello.

119. Si te injuria affecerit ſocius tuus, reprehende eum inter te & ipſum ſolũ. Quod ſi audierit te, jam lucratus eſt eum. Si non audierit, dicito ei coram uno atque altero, ut audiant rem. Quod ſi ne tum quidem audierit, habeto eum pro ſocio vili.

120. Verus

Verus amicus non pecuniam modo, ſed etiam vitam 120.
negligit, ut eum, cui charior eſt quam ipſe ſibi, liberet.

Amo, inquit, eum qui mihi vitium meum indicat in- 121.
ter me & ipſum ſolum. Talis, ſi quando occurreret aut ob-
viam fieret, præferendū eſſe dicebat ei, qui, quoties amicū
obvium habet, illi aureum denariū dat. Addebat etiam ſe
nunquam probaſſe eum, qui in ſua errata non inquireret.

Quum ex eo quidam quæreret quid eſſet amicitia? re- 122.
ſpondit, ubi animi conjuncti ſunt, eademque ſtudia &
eædem voluntates.

Foramen acus anguſtum non eſt duobus amantibus, 123.
nec † latus mundus ſatis duobus inimicis.

† *mundus quam late patet.*

Si voles ſcire utrum quis te amet, an odio habeat, ex- 124.
plora cor tuum, & vide quo ſit erga illum modo adfectū.
Nam ut in aqua facies faciei, ſic cor hominis homini reſpon-
det, ut ait Salomo. Proverb. 27. 19.

Homo videt ex corde ſuo qd in corde ſocii.

Quærenti quis plurimum ipſum amaret? Is reſpondit, 125.
cujus ſunt plurima in me merita, " aut mea in ipſum ma-
lefacta.

" abeſt a MS.

Interrogatus quando aliquis cognoſceret amantem ſe? 126.
reſpondit, Quando corda & linguæ concurrunt ad aman-
dum: non " vident, niſi amorem ejus, nec loquuntur niſi
laudem ejus.

" Speculātur, lectio varians, nos latent niſi in amore ipſius.

Amorem ejus) aut quæ in eo amanda. q. d. quicquid vident, in eo amant.

In amicum noli curioſius inquirere, ne forte inimicus 127.
aliquis tibi narret de eo, quod falſum ſit, atque ita diri-
mat amicitiam, quæ inter te & illum.

Cum amico noli ſimulate agere aut in eum inquirere.

Amicum dicebat juvandum eſſe vita & pecunia: * no- 128.
tum beneficiis & comitate: homines plebeios & vulgares
ſalutandos,

* cognatum.

Digitized by Google

ſalutandos, excipiendosque vultu hilari ac læto: inimico vero dandam eſse eleemoſynam.

Vita) anima, quod alii exponunt corpore.

129. Cave ab eo qui te amat propter neceſsitatem ſuam. Nam ceſsante neceſsitate ceſsabit amicitia ejus.

Hoc aliis verbis extulit autor ad Herennium, Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus ſequuti ſunt, hi ſimulatque fortuna elapſa eſt, devolant omnes. Cum enim receſsit res ea, quæ fuit conſuetudinis cauſſa, nihil supereſt, quare poſsint in amicitia retineri.

130. Nemo, inquit, me dilexit, quem non viciſsim dilexerim ſincere per omnem vitam meam. Nemo me odio proſecutus eſt, pro quo non oraverim Deum, ut illi meliorem mentem daret. Nullius arcanum mihi creditum unquã patefeci. Non aggreſsus ſum rem inhoneſtam. Non aſſenſus ſum unquam ulli rei, quam poſtea revocaverim, etiamſi facienda eſset jactura totius rei familiaris. Tum dixi, In omni re bona eſt patientia, prçterquam in re amici. Nam qui audit convicia, quæ in amicum dicuntur, ſilere non debet, ne illum a ſe alienet.

131. Ne fallat te amor regis: non enim diuturnus eſt. nam abit ut umbra tranſiens.

Ne fallat te) ne decipiat cor tuum & ne glorieris de eo. Sumptum ex ſcholio.

132. Si habes amicos principes, ne metue regem.

133. Cuidam cum quæreret quis eſset hominũ pigerrimus? Is, inquit, qui pigratur ſibi acquirere amicos; ſed pigrior eo eſt, qui acquiſitos perdit.

134. Fugienda ſocietas eorum, a quibus nihil boni diſcitur.

135. Quanã re probet intelligẽs ſeipsũ? ferẽdo malam uxorẽ.

136. Mala mulier ſimilis eſt lupo, qui cutem mutat non naturam.

137. Nulla

Nulla pejor ſocietas, quam malæ uxoris. 137.

Gloria & ignominia hominis ex ſocio quicum conſue- 138.
tudinem habet.

Cum interrogaretur quid optimum homini eſſet? in- 139.
tellectus, inquit, quo vivat. Quid proximum, ſi is defi-
ciat? pecunia: nam ea honoratiorem reddit hominem.
Quid tertium, ſi nec pecunia adſit? ^a Vxor, quę vitia ipſius
tegat. Quid quartum, ſi nec illa obtigerit? ſilentium,
inquit. Quod ſi & hoc deſit, tum judico ei optimum
eſſe ſepulchrum.

a Prudens, ut ibi, Qui invenit uxorem, invenit bonum.

Silentium) quo tegat vitia ſua. Nam ſtultus dum ſilet pro ſapiente habetur.

Ne fidito ei cui das, licet ſe memorem verbis declaret, 140.
donec ſubtraxeris quod dare ſolitus es.

Amicum paraturus prius eum ad iram provocato. Si, 141.
dum iratus eſt, confitetur ſe tibi obnoxium eſſe, retine
eum: ſin minus, relinque.

Si perſeverat tecum ire in juſtitia et veritate, adjunge te ei. Nam eſt fidus.

Quod inimicum neſcire vis, ne patefacito amico. *Tu-* 142.
tiſsimum eſt ſilere, quod arcanum eſſe velis. Nam pauci ex multis ſilentii fidem ſervant.

Quidam cum arcanum ſuum amico narraſſet, ex eoque 143.
quæreret, num bene intellexiſſet, Intellexi, inquit: ſed
oblitus ſum.

q. d. nemini patefaciam illud.

Interrogatus quid eſſet celare arcanum? reſpondit, Si 144.
nec indicantem prodideris, nec rem indicatam.

In MS. nec increpo indicantem & celo indicatum.

Rogatus quomodo celaret arcanum? Pono, inquit, 145.
cor meum ſepulchrum ejus. *quaſi diceret, ſepliendo in corde meo. Hoc vult, ut mortuus nunquam exit e ſepulchro,*

Digitized by Google

ſic uoc arcanum mihi commiſſum e corde meo. Vel, pono illud in corde ut in ſepulchro, unde nunquam exit.

146. Quamdiu arcanum contineo, eſt mihi captivi inſtar: ſimulac patefecero, reddor ipſius captivus.

147. Idem dicebat arcanum inter duos eſſe. Vbi ad tertium perveniſſet non amplius arcanum eſſe: non enim celari poſſe.

148. Daturus aliquid, ſi metuis ne pœniteat, prius nega quam des aut promittas. Quod ſi promiſeris, præſtandum eſt: turpe enim eſt dicere, Non dabo, poſtquam dixeris, Dabo.

149. Cum taciturnus eſſet, quęrenti cauſſam; Quum loquor, inquit, mox pœnitet: quum ſileo, non pœnitet. *Quadrat cum illo, locutum fuiſſe ſæpe pœnituit, tacuiſſe nunquam.*

150. Item dicebat, Cum loquor, verbum dominatur in me: cum ſileo, ego dominor in illud.

Quadrat cum illo, ſecretum occultum apud te in vinculis eſt: patefactum, te vinctum habet.

151. Semel pœnituit tacuiſse, bis locutum eſse.

152. Eſt ſapientis non eloqui quod nociturum putat, ſi enuntietur, & nihil profuturum ſcit, ſi taceatur.

153. Ita dicebat "cuſtodiendam eſse linguam ut pecuniam. "*recondendam.*

154. Præſtat perire morbo ſilētii, quam morbo loquacitatis.

155. Niſi adſunt doctrinæ opes, ſile.

156. In cultu divino nihil melius ſilentio & ſpe.

157. Taciturnitas metum conciliat.

Vel reverentiam. vult dicere, Quo taciturnior quis eſt, eo majore autoritate eſt apud ſuos, eo magis ipſum reverētur.

158. Mors hominis ex lapſu linguæ, non ex lapſu pedis. Nam lapſus pedis ſanari poteſt paucis diebus.

159. Arbor ſilentii fructus pacis.

169. Potior

Digitized by Google

Potior eſt ſtultus ſilens ſapiente verboſo aut loquace. 160.
Stultus, dum ſilet, ſemiſapiens eſt. 161.
Gymnaſium ingreſsus * cum diu tacuiſset, laudanti- 162.
bus ipſum qui aderant, Vtilitas, inquit, quæ ex aure manat
ad me redit: quæ ex lingua, ad alios.

* quidam Arabs videlicet.

Laudātibus) dicebāt, jure dicūt te eſſe ex ingenuis Arabiæ.

Rex quidam vituperantibus orationem ac dicentibus: 163.
ſilentium præferendum eſse etiam prudenti ſermoni, Bona verba, inquit. Nam qui loqui novit prudenter, etiam tacere novit.

Dicere ſolet migrandum eſse e loco, ubi rex non timetur. *nam ſcilicet metu magiſtratuum contineri homines in officio. Vnde quidam ait, Niſi eſſet metus, alter alterum vivum devoraret.* 164.

Noli habitare in urbe, ubi nec rex juſtus eſt, nec medicus [a] peritus, nec forum rerum venalium, nec flumen. 165.

[a] *In MS. nec ſapiens. Sed in ſcholio medicus ſapiens, id eſt peritus.*

Regem eſse ajebat ſimilem igni, ad quem non expediret propius accedere, neque longius ab eo abeſse; quod ibi periculum ſit a combuſtione, hic a frigore. *ita eſt profecto. Societas potentum multis pernicioſa fuit: fuga eorundem dignitatis expers eſt.* 166.

Peſsimum eſse dicebat in divitiis, * non audere iis uti: 167.
in amicitia repellere amicum inopem aut miſerum: in regno, ſi regem metuat innocens: in terris, ſi nec abundet rebus neceſsariis, nec in eatuto habitare liceat.

* non exper dere illas ad uſum ſuũ.

Iuſtitia regis cōducibilior eſt populo quā ubertas anni. 168.
Regum aulas comparabat cum altiſsimo mōte, in quo 169.
eſsent fructus optimi & feræ peſsimæ.

In quem aſcendere quidem arduum eſſet, ſed manere ibi magis arduum & periculoſum.

Digitized by Google

Cui Deus hæc quatuor conceſſerit, eum non lædet ja- 177.
ctura rerum temporalium, Spiritum quietum, ordinem
certum in re familiari aut victu parando, ſermonem ve-
rum & fidem.

Jactura rerum temporalium) id quod prohibitum ei in mundo, ut ſunt divitiæ, voluptates hujus mundi.
Spiritum quietum) ſcientiam quietam, hoc eſt animum ſuo contentum, qui etiam decreta Dei contra ſe ſuſcipit cum gaudio.

Mirari ſe ajebat, cum ſervos pecunia emamus, quod li- 178.
beros homines non adjungeremus nobis beneficiis aut
morum probitate.

Hæc quinque vitam ſecuram nedum tutam præſtant, 179.
Neminem lædere, æquo animo eſſe, vitare impios aut
hypocritas, bona inſtitutio ſive diſciplina & opera bona.

Præcipiebat viſitandos eſſe amicos per intervalla lon- 180.
ginqua: item dicebat, Si amari vis, viſita raro: ſi odio
eſſe, viſita ſæpe.

Qui viſitat, *cui gravis ipſe eſt, auferet contemptum 181.
& ignominiam.

** qui non eſt amicus ei ex animo. Vide ſcholia.*

Ne tibi grave ſit ire ad viſitandum ægrotum milliare 182.
unum: & ad conciliandum pacem inter homines, duo: &
ad honorem Creatoris, tria.

Vt pluvia ſi continua fuerit, moleſta eſt, licet homines 183.
pro ea impetranda preces concipere ſoleant: ita viſitatio,
ſi frequens ſit, odioſa eſt; ſi ſuo tempore fiat & rarius, gra-
tiſsima eſt.

Moleſtus viſitator gravior eſt ægroto, quam ipſe mor- 184.
bus: *vel ſic*, morbum ferre ægro facilius eſt, quam mole-
ſtum viſitatorem.

Aegrotus quidã cum animo mœſto eſſet, quærentibus 185.

Digitized by Google

ornare imprimis ſilentium.

Dicebat nihil prodeſſe viſum oculorum, ubi mens cæ- 193.
ca eſſet.

Scitum illud, ὁ νοῦς ἀκούει καὶ ὁρᾷ· τὰ δὲ λοιπὰ κωφὰ καὶ τύφλα: *mens audit, mens videt: cetera omnia ſurda & cæca.*

De mendacio dicebat, quod eſſet clavis delictorum, & 194.
quod pedibus careret. *Siquidem longe ire non poteſt, quin ſtatim deprehendatur. Quo pertinet & illud, Mendacium opus breve. ſenſus eſt, Non diu durat, ſtatim patefit. Quod Salomo ſignificat cum ſic ait, Lingua mendax ad momentum.* Prov. 12. 19.

Dicere ſolet, multum riſum ſignum eſse ſtultitiæ. *Quod* 195.
vulgo innotuit hoc verſiculo, Per riſum multum poteris cognoſcere ſtultum.

Ajebat abſque diſciplina omnes homines pares eſse, 196.
nam quod alii aliis præſtarent, id eo fieri, quod melius inſtituti eſſent. Addebat nihil prodeſse intellectum abſque diſciplina.

Interroganti quid eſset ſtultitia? Eſt, inquit, morbus in- 197.
ſanabilis. *Porro varia ſunt genera ſtultorũ. Loquitur autem de iis, ut exiſtimo, qui ſapientiam & diſciplinam omnem contemnunt. Nam tales inſanibiles ſunt. Non enim admittunt ullas admonitiones.*

Idem dicebat, Neminem ita arguere intelligentem ut 198.
ipſe ſeipſum. Nam intelligens in hoc diſsimilis eſt a ſtulto, qui arguens alios ſibi condonat omnia: contra intelligens nulli minus ignoſcit quam ſibi, dum ipſum pœnitet admiſsi & de ſe pœnas ſumit, cura penſans quod incogitantia commiſsum eſt.

Roganti quem aptum eſse putaret ad regendos homi- 199.
nes? Eum, inquit, quem fortuna probe exercuit.

Nemo diſcit niſi ut ſciat: dies autem docet, quod antea 200.
neſciebat.

neſciebat. Nec prodeſt inſtitutio ſive diſciplina ei, qui non eſt intelligens.

201. Si quæres de aliquo, prius quære quem familiarem habeat. Nam ex eo cognoſces ſitne bonus an malus. Nam fere imitamur mores eorum quibuſcum vivimus aut cōverſamur. Quocirca adjunge te ad amicitiam bonorum, & non malorum, ne horum ſimilis evadas.

202. Sapienti te ſubmitte: majorem honora: minorem tuere: hypocritam & ſtultum devita.

203. Hæc præcepta dabat filio ſuo, Ne ſuſcipito, mi fili, dominatum in cives tuos: ne ſperne rem parvam, nam te ducet ad rem magnam. Ne contende cum homine iracundo. Ne locum habeant apud te qui contendunt duntaxat ut vincant. Ne gaude cum ceciderit inimicus tuus: nam neſcis quid tibi eventurum ſit. Ne oſtende potentiam tuam, cum maxime potens eris: nam neſcis quid dies parturiat contra te. Ne errantem in ſermone irrideto: nam ne ipſe quidem es dominus oris tui. Quin excuſa eum quantum potes, quod fiet ſi dixeris lingua lapſum, ceterum aliud in mente habuiſſe. Ne omnem amorem tuum in amicum ſimul & una vice conferto. Veritatem ſemper ob oculos habeto, integreque ac ſincere vivito. hæc ſi facies, dum vives, multa incommoda vitabis, & vere nobilis eris, aut conſors futuri ſeculi.

204. Scito, mi fili, caput fidei eſſe Dei ejuſque præceptorum reverentiam.

Vel, timere Deum & cuſtodire præcepta ejus.

205. Scito quoque, fili, Deum alta deprimere, & depreſſa exaltare. Quocirca deprime te ipſum, ut ipſe te exaltet.

206. Fili ne differ agere pœnitentiam, quia mors ſupervenìet ex improviſo & derepente.

207. Fili, multos habeto amicos, neve applica animum ad

odio

odio proſequendum eum, qui tibi malum intulerit.

Fili, ne commuta uxorem tuam cum uxore alterius, 208.
quæ formoſior ſit: nam cupiditas ſeducit intellectum, &
antea ſeduxit eum, qui te multo ſapientior erat.

Ne commuta) ne trade aut vende. Schol. ne deſerito eam ob pulchritudinem alterius.

Fili, reputa te pauperem eſse, cum eris dives, quia fu- 209.
turum eſt ut ſepareris a divitiis per mortem.

Fili, noli opponere te irato regi aut exundanti fluvio. 210.

Fili, ne quippiam decernito priuſquam conſulueris 211.
eum, qui te dirigat.

Fili, time homines malos, & cave ne offendas bonos. 212.

Admonitus eſto de bonis.

Fili, poſseſsio tua ſit in hoc mundo uxor bona & ſoci- 213.
us bonus. Vxor ſolatio tibi erit, cum domum venies:
ſocius, cum exibis.

Fili, non ſunt ullę divitię conferendę cum ſanitate cor- 214.
poris, nec ulla voluptas cum ea quam percipit is, qui
animo æquo fruitur.

Qui reſtrictus eſt ad largiendum tenuibus, in ejus pe- 215.
cuniam reges, Deo ita decernente, dominatum obtine-
bunt.

Quum alicujus bonitas conſpicua eſt, ei adhæreto. Quũ 216.
malitia conſpicua eſt, eum fugito. Quum res in dubio eſt,
committe eam Deo.

In multo ſermone ſubinde mentionem facite Dei, ne 217.
induretur cor veſtrum: cor enim durum procul abeſt a
Deo.

Ne reſpice peccata aliorum, ne animo elatus oblivis- 218.
caris tuorum.

Qui purus eſt a tribus, is tria conſequetur. Purus ab 219.
ira, in pretio erit apud homines: purus a tranſgreſsione,

Digitized by Google

perveniet ad gloriam: purus ab avaritia, pertinget ad honores & dignitates.

220. Hi tres in tribus rebus cernuntur, mitis in ira, fortis in bello, & amicus in neceſsitate, id eſt, cum eo indigemus.

221. Societas malorum facit ut interdum male ſuſpicemur de bonis.

222. Duæ res nunquam ſimul ſunt, nec in una ſede morantur; *a* bonus animus & avaritia.

a ſua ſorte contentus.

223. Hi ſex abſque dolore nunquam ſunt. Dives ad paupertiem redactus. Dives qui metuit nummis ſuis. Iram retinens. Cupidus. Is qui ſapientiam quærit indecentem. Homo rudis, quando cum eruditis familiaritatem colit.

224. Hi tres digni ſunt commiſeratione. Intelligens, qui eſt ſub ductu furioſi: juſtus, in quem improbus dominatur: ingenuus, qui indigens eſt ſtulti.

225. Cui anima chara eſt, is parvipendit hunc mundum.

Chara) pretioſa, qui de animæ ſalute ſerio cogitat, ſive qui hoc agit & in eo totus eſt ut ejus anima poſsideat vitam futuri ſeculi, eviluſcet in oculis ejus mundus.

226. Qui amat pecuniam, non ſatiabitur pecunia.

227. Cogita de ſeculo tuo, ac ſi victurus eſſes in ſeculum;& de fine tuo, ac ſi cras moriturus eſſes.

De fine tuo) de noviſsimo tuo, hoc eſt de die mortis tuæ.

228. Vbi dejectio, ibi magnitudo. Vbi * reverentia, ibi gloria. Vbi animus ſua ſorte contentus, ibi divitiæ.

** timor peccati.*

229. Divitiæ fons dolorum: minuet ergo dolorem qui eas.

Vel poſseſsiones fons luctus: minuet ergo luctum qui eas.

230. Qui ſuam animam amat, eam occidit.

Morte videlicet ſecunda, quæ mors animæ dicitur. Amat autem animam, id eſt vitam, qui eam ſervat nec perdere vult

vult propter juſtitiam. Vide Matth. 16. 25. Aut ſenſus eſt, Qui ſeipſum amat, ſe occidit patitur propter veritatem. Scholion, Applicate cor veſtrum ad occidendum vos ipſos propter legem & cultum divinum & ad affligendum animam veſtram jejunio. Quod ſi feceritis, vivet anima veſtra in paradiſo.

Cum bona obtingent, recordare incerta eſse: cum ma- 231.
la obvenient, ſpem habe in Deo, quod ea a te amolietur. Ita diu ac jocunde frueris bonis & vitabis peccatum.

Dicebat amicis, *Sit mors levis in oculis veſtris: nam ſe- 232.
cundum metum ejus eſt [a] amaritudo ejus.

[a] alias proprietas ejus.

** Sit levè in oculis veſtris mors propter ſanctificationem nominis.*

Aſserebat duas eſſe mortes, quarum alteram natura, al- 233.
teram voluntas pręſtaret. Homo enim moritur cum anima corpus relinquit ſolutũ lege naturæ. Mori quinetiam dicitur, cum anima adhuc in corpore conſtituta cupiditates & mundi illecebras contemnit. hanc dicebat efficere, ut qui ea moriatur, vivat in æternum, nec mortem illam alteram obeat. Idem dicere ſolet, Qui morte voluntaria defungitur, ei mors altera vita eſt.

Homo mundanis illecebris implicitus ſimilis eſt ſitibũ- 234.
do, qui nactus aquas ſalſas, quanto magis bibit de iis tanto magis ſitit. Item ſimilis eſt cani famelico, qui os quod forte nactus eſt, aſsidue rodit, uſq; adeo ut ſanguis egrediatur e dentibus; quem dum lingit, putat eſse ſuccũ, qui ex oſse manat. Sic homo dum ſe occupat in hoc ſeculo abſq; cultu divino, dum putat ſe acquirere, perdit de operibus ſuis bonis, quæ poſt requirentur ab eo.

Cuidam, qui ab ipſo inſtitui cupiebat, Ne gaude, in- 235.
quit, de eo quod ex hoc mundo tibi obtigit: & ne dole de eo quod non obtigit. Lætare ob id, quod conſecutus es ex

operibus bonis, & dole ob id, quod non es conſecutus. Adhæc metue ab eo quod poſt mortem. *vult dicere, a judicio extremo.*

236. Rex * Indorum cuidam ex famulis ſuis ſcedulam dabat cum hoc mandato, ut ſibi eam ſcedulam oſtenderet quotieſcunque iraſceretur. In ea perſcriptum erat, Remiſſum te præbe: non enim Deus es, ſed corpus, cujus pars partem abſumet, & a vermibus ac lumbricis corroſum in pulverem redibit.

* Rex unus, id eſt quidā in MS.

237. Sabæorum * quidam rex * nanum ſive pumilionem habebat. ei præcipiebat ut cum aliquem cædi juberet, ſe ſiſteret ante faciem ſuam & hæc verba recitaret, Domine rex, recordare diem judicii.

Schol. diem excuſsionis in ſepulchro, quando ferient te virgis igneis.

* Idem rex in eod.

* Servum parvum, id eſt nanum.

238. Sapiens quidam fundum vendiderat 80000 aureis denariis, cumque ei amici ſuaderent, ut partem illius pecuniæ theſaurum liberis reconderet, dixit, Reponam hunc theſaurum univerſum apud Creatorem, liberis autem meis relinquam pro theſauro ipſum Creatorem. Quod cum dixiſſet, erogavit omnia pauperibus.

239. Cum quendam ſolicitum eſse videret, dixit, Si ſolicitus es propter res hujus ſeculi, peccas in Deum, qui tibi dedit quod ſatis eſt, & quo contentus eſse deberes: ſin autem ſolicitus es ob ſeculum venturum, augeat tibi Deus ſolicitudinem iſtam.

240. Interrogatus quis feliciſsime negociaretur? Is, inquit, qui vendit bona peritura hoc animo ut ſibi comparet ſtabilia & duratura.

241. Principium luctus eſt diligere mundum.

242. Vt lucerna oculus eſt lucis, ſic intellectus oculus eſt animæ: & ut ſol lux eſt mundi, ſic anima lux eſt corporis.

243. Cum

Cum quidam ei diceret, Pauper es, doleo vicem tuam, 243.
reſpondit, Si ſcires quid eſset paupertas, magis doleres
vicem tuam quam meam. Nam es me in omnes partes
pauperior. Nemo enim pauper eſt, niſi qui ſe putat eſse
talem. paupertas enim ex opinione eſt.

Cum ob calamitatem publicam cives cujuſdam opidi 244.
in luctu eſsent, ſapiens noſter, quaſi nihil ad ſe pertineret
illa calamitas, non admodum afficiebatur. Ibi cives quærere
ex eo cur non eſset triſtis cum aliis? Quia, inquit, ſi
hæc in ſomnio viderem, experrectus non triſtarer: ita nec
nunc triſtis eſse poſsum, cum ſciam mundum iſtum univerſum
nihil aliud eſse quam ſomnium, quod abit, quoties
homo expergiſcitur.

Ajunt Romæ ſaxum eſse, in quo hæc ſculpta ſunt lin- 245.
gua Romana: O homo, fac dum potes facere, & projice in
Creatorem onus tuũ, neve adducat eo te cupiditas ut pecces,
& ne applica animũ ad mœrendum propter diem, qui
nondum venit: ſi enim eſt ex diebus tuis, adducet eum
Creator te invito. Et ne admirare opes accumulatas: ſiquidem
multi congerunt opes maritis uxorum ſuarum,
& ſe pauperes faciunt, ut alios locupletent. Porro intelligens
ſeipſum arguit de his & facit ea.

Fertur ad portam urbis cujuſdam deſtructæ in Græcia 246.
lapis eſse, in quo hæc ſcripta habentur litteris & ſermone
Græco: Homo ſi conſiderares modicum quod victurus
es, abominareris id in quo nunc ſpem collocas, minueresque
cupiditates. ſolicitudines & ſolertes tuas curas:
nam ad extremum pœnitebit te horum, cum videlicet
nutabit pes tuus, & ſpreverint te [a] domeſtici tui, deſeruerintque
propinqui, ſeque ſegregaverint ac ſeparaverint a
te amici tui, quum non reverteris amplius domum tuam,
nec addes facere ſecundum opera tua.

[a] MS. viri tui, arguerintque.

247. Præterea ſcriptum erat in eo lapide: Homo, ſi te addices ſtudiis hujus ſeculi, coacervabis animæ tuæ crimina, & filiis domus tuæ divitias: quum autem e vita migrabis, conferes tecum crimina in ſepulchrum, ſed divitias relinques filiis domus tuæ.

248. Apud Arabes tria ſepulchra dicebat inveniri cum totidem inſcriptionibus. Prima inſcriptio eſt, Quî poteſt dulcis eſse vita ei, qui novit Deum judicaturum nos de opere tam bono quam malo, ac redditurum unicuique ſecundum facta ſua? Altera eſt, Qui vitam jocunde traducat is, qui ſcit mortem repente ſuperventuram, ablaturámq; regnum & dignitatem & collocaturũ hominem in domo tenebrarum, quæ deſtinata ei? Tertia inſcriptio, Quî vita jocunda ſit ei, qui vadit in ſpeluncam tenebroſam & luminis expertem, quæ abſumet cum corpus tum oſsa?

Hæc aliter in MS. Nam tertia inſcriptio ibi deſideratur Sed vide c.42.

249. Rogatus quis lõgum dolorem ſuſtineret? Is, inquit, qui Deo diffiſus in perpetua ſolicitudine eſt de victu, cujus dolor ſine fine eſt, & labor ſine quiete, dum non contentus ſorte ſua id concupiſcit quod creator aliis largitus eſt.

250. Cum ex quodam quæſiviſset, num quid conſecutus eſset ex ſolicitudine quam huic ſeculo impenderat, & is reſpondiſset ſe parum admodum conſecutum eſse: Si eſt ita, inquit, ut dicis, quid ſperas te conſecuturum ex altero ſeculo, cui nullam curam aut ſolicitudinem impendis?

251. Dicebat neminem eſse pauperiorem eo, qui non contentus ſorte ſua oculum haberet inſatiabilem, hoc eſt homine avaro. Item neminem ita pauperem eſse ut cui paupertas gravis eſt ac mœrorem adfert.

252. Sepulchrum & non pauperies. *Mens hujus dicti, mori præſtat, quam pauperem vivere.*

253. Da ei cui velis eſse dominus.
Deſpera de eo cui cupis eſse ſimilis.

Videtur

* *Videtur hoc velle, deſpera te aſſequi poſſe eum. Nam ſi non aſſequeris, non dolebis: & ſi aſſequeris, tanto magis gaudebis.*

Honora eum a quo honorari amas.

Pete ab eo cui deſpectui eſſe vis.

Guſtavi res omnes amaras, ſed nihil amarius eſſe com- 254.
peri petitione. *vult dicere, petitione mutui, aut quando aliquis neceſsaria petit ab eo, quem ſibi obſtrictum non habet.*

Dicebat vulnus immedicabile eſſe, quando liberalis 255.
indiget homine avaro, qui ei negat quod petit: item ſatis eſse egere quam petere ab eo qui dignus non eſt a quo petatur. Peſsimum aũt quando is qui dat non libenter dat.

Cum quidam diceret, ora Deum ut me ita beet ne in- 256.
digeam opera hominum, reſpondit, Homines indigere alter alterius opera, ſed eos demum felices eſse, qui non indigerent opera aut pecunia ſtultorum.

Quidam hujuſmodi preces ad Deum habebat, Domi- 257.
ne Deus fac ne unquam egeam hominibus improbis; ſed cum egebo aliquo ex iis, quos creaſti, fac ſit optimus inter eos, & animus liberalis, & lingua ſuavis ac blanda, quique non exprobret mihi benefactum ſuum.

Ad verb. quique non recordari faciat me, dicendo videlicet, Tale ac tale beneficium in te contuli.

Rex quidam quærebat ex ſuis quid peſsimum eſset: il- 258.
lis reſpondentibus, egeſtas: Non inquit; ſed avaritia, quæ non relinquit dominum, niſi eum prius in contemptum adduxerit, ignominia & dedecore affectum.

Ajebat omni odio mederi poſse excepto odio quod ex 259.
invidia.

Odium ſimpliciter eſt ob jacturam pecuniæ, quæ reſtitui poteſt: ac tum ceſſat odium illud. Sed odium ex invidia cauſſam nullam habet. Ideo immedicabile eſt. Sic dico invidus

Digitized by Google

invidus odit ſine cauſſa quem odit.

260. Quod morbus corpori, id invidia animo.

261. Invidia annos breves facit.

262. Cum quidam ejus amicitiam diſſolvere vellet, quod multa de eo audiviſſet, referentibus aliis, quæ minus honeſta eſſent, re cognita, An audiviſti, inquit, me loquentem male de aliis? Non, inquit, alter. Tum ille, Non ergo me relinquere debes; ſed potius eos qui de me male apud te locuti ſunt.

263. Qui aliorum vitia detegit, ſua patefacit: fere enim culpamus ea, in quibus ipſi culpandi ſumus.

264. Princeps quidam narranti ſibi aliorum crimina, Iam, inquit, didici quibus criminib. tu imprimis obnoxius ſis.

265. Qui delatoribus credit, raros amicos habebit.

266. Ne aliorum vitia patefacito, ne Deus tua patefaciat.

267. Morborum omnium peſsimum eſſe ajebat vicinum malum. Idem amico neſcio cui, Det Deus, inquit, ne te videat unquam malus vicinus. Nam ſi quid laude dignum in te animadverterit, celabit; ſin culpa dignum erit, patefaciet.

268. Qui tolerat vicinum damnum inferentem, is Deo ita volente, domum ipſius hæreditabit.

269. Quodam dicente Amo te, Cur, inquit, me non amares? Non enim es ejuſdem mecum fœderis, nec propinquus meus, nec vicinus, nec ex iis qui me alunt: *ſentiens, opinor, facile inter tales & levi de cauſſa diſſenſiones oriri.*

270. Interrogantibus ut ſe haberent res ipſius? ita, inquit, ut res ejus, cui adempta pecunia relictus eſt mos ſuus. innuit ſe in paupertate non alium eſſe, quam fuerat cum divitias poſsideret, nec ob amiſſas opes hilo deteriorem evaſiſse.

271. Malum ſocium dicebat ſimilem eſse malo morbo, qui ſe ſpargeret ac dilataret per corpus hinc inde. Eundem

ajebat

ajebat in vitia ſocii ſui diligenter inquirere, eaque palam facere: cōtra, virtutes ipſius, ſi quas haberet, callide celare.

Qui ſerit odium, metet pœnitentiam. 272.

Quærentibus quo pacto ſe aliquis ulciſceretur optime 273.
de inimicis? Per virtutem, inquit, ſi auxerit dignitatem ſuam, eamque illuſtriorem reddiderit.

Admonebat cavendum eſſe ab odio hominum, etiam 274.
eorum, qui viles & abjecti eſſent. Nam perſæpe accidiſſe ut vir magnus ſtrangularetur a muſca parva.

Ajebat quinque inveniri in ſtulto, quæ non inveni- 275.
rentur in aliis. Nam ſtultus, inquit, temere iraſcitur: hoc primum. Deinde ſedet in loco qui non convenit ei: tum etiam fatigat corpus ſuum ſine cauſſa: nec diſcrimen ponit inter amicum & inimicum: poſtremo patefacit arcanum alterius. his adde quod reſpondeat priuſquam audiverit aut intellexerit.

In MS. additum, & multum intuetur quod ſuum non eſt.

Amicus hominis intellectus ipſius, & hoſtis ſtultitia. 276.

Mirari ſe dicebat ſi quando videret ſuperbientem eum, 277.
qui tranſiiſset [a] per vaſa urinæ ac ſanguinis.

[a] *In MS. per tranſitum urinæ ſive lotii bis.*

Percontantibus quid eſſet ſuperbia? Eſt ſtultitia, inquit, 278.
quam, qui ea præditus eſt, non poteſt relinquere: ſive, cui dominus ipſius ſemper adhæret, *Dominus ipſius) id eſt, qui ea imbutus eſt.*

Fuit tempus, inquit, cum ad regem quendam venirent 279.
tres milites, cumque locum ſibi pro arbitrio unuſquiſq; delegiſſet, ac rex ob id factum eis ſuccenſeret, qui primū locum occupaverat, ita ſe excuſare ut diceret habuiſse ſe rationem generis ſui: qui proximus erat, is tribuere ſapientiæ ſuæ, quod eum locum occupaſſet: qui ultimus ac

poſtremò loco ſedebat, nihil horum ſibi tribuere, ac proinde aliis libenter ceſsiſſe; Ibi rex ad ultimum: Iubeo, inquit, ut tu primo loco ſedeas: nam indigna commiſerunt commilitones tui cum genere tum ſapientia ſua. *Non eſt apophthegma.*

280. Dicebat apud ſtultum omnes homines pares eſse, nec poſſe ipſum diſcernere amicum inter & inimicum. Amplius dicebat, Apud quem omnes homines pares ſunt, ejus ſtultitiæ non eſt remedium.

281. Ajebat dignum eſſe ignominia, qui locum non ſedignum ingreſſus, ibi ſederet ubi non eſſet juſſus ſedere, & narrationem continuaret rei, de qua non eſset interrogatus.

282. Dicere ſolet amicum inconſtantem & varium pro hoſte habendum, nec unquam ei fidendum eſse.

283. Cum debitum, inquit, honorem tribuis amico, nec ille tibi parem honorem reddit, bonũ eſt te illum relinquere.

284. Rex quidam annulum geſtabat, in quo perſcriptum erat, Moleſtus es, ſurge. hunc oſtendebat dabatq; legendum ſi quis ei moleſtus aut gravis eſset.

285. Filio præcipiebat, ne ſederet apud eum, qui moleſtus eſset. Nam legi, inquit, in libris medicorum, apud hominem moleſtum ſedere & quartana acuta laborare paria eſse.

286. Dicere ſolet, Vbi moleſtus ſe moleſtum eſse agnoſcit, non eſt moleſtus.

287. Adverſus hunc morbum nullum præſentius remedium eſse ajebat, quam ut te ſurdum ac cæcum facias.

288. Rex quidam ſapiens ſcedulas tres dabat totidem famulis ſuis, cum hoc mandato, ut ſibi oſtẽderent eas, ſiqnando voluptatibus circũflueret, aut lætitia nimiâ efferretur. In prima ſcedula erat, Memento te eſse creaturam, non

Creatorem,

Creatorem. In ſecunda erat, Memento te eſse pulverem, vermiumque & lumbricorum eſcam. In tertia erat, Qui hodie non miſeretur, cras non conſequetur miſericordiam.

Qui malum malo vincit, non vincit, ſed vincitur. 289.

Ex filio quærebat, num cuperet hominem malum vincere: illo annuente, Non vinces, inquit, niſi illo pejor fueris. hoc dicto ſignificabat ferendos eſse improbos, nec alia ratione honeſtiore eos vinci poſse. 290.

Dicebat octo eſse genera hominum, qui ſua culpa in contemptum venirent. Primum eſse eorum, qui non vocati ad cœnam irent. Secundum eorum, qui domi alienæ præciperent, ſive qui homini præſcriberent domi ſuæ. Tertium eorum, qui honorem quærerent ab inimicis ſuis. Quartum eorum, qui aliquid peterent ab avaro. Quintum, qui duobus colloquentibus non juſsi accederent aut intervenirent. Sextum eſse contemnentium regem aut magiſtratum. Septimum occupantium locum, qui non decet ipſos, aut quo indigni ſunt. Octavum narrantium quippiam ei, qui non auſcultat. 219.

Ex multo ſermone ajebat ſciri poſse qualis quiſque eſset. Nam animi indicem orationem eſse. 292.

Interrogatus quidam princeps quomodo ex humili loco ad ſummum dignitatis gradum perveniſset, Semper, inquit, verum locutus ſum. Quin ſincere ac integre vixi cum hominibus. Sed & nunquam quicquam ab ullo petii, quo non magnopere indigerem. Vt omittam quod ab omni pravitate, dum vixi, alieniſsimus fui. 293.

Ex humili loco) vel ex humili familia. In fonte ad verbum, ex Æthiopibus.

Dicebat feſtinationis comitem & quaſi pediſsequam eſse pœnitentiam. 294.

295. In loco convivii & riſus non habitat ſapientia.

296. Sapiens, dum ridet, pro ſtulto habetur. *Capiendum de riſu intempeſtivo, ut Eccleſ. 2. riſui dixi inſanis. Nam quia inſanos homines facit, ideo inſanire dicitur. Vel riſus nomine intelliguntur quævis ludicra; in quibus facetiæ jocique non ſuo loco aut tempore adhibiti, &, ſi Deo placet, choreæ: de quibus Ambroſius, Saltationis juxta ſapientiam ſecularem aut temulentia autor eſt, aut inſania. Ita Fridericus Cæſar dicere ſolitus eſt, ſe malle febri teneri, quam ſaltationi operam dare.*

De Virg. lib. 3. cap. 116.

297. Interrogatus quemnam inter homines ſapiētiſsimum eſſe judicaret? Eum, inquit, qui in utraque fortuna æquo ſemper animo eſt, quem neque res ſecundæ nimium efferunt, neque adverſæ penitus dejiciunt.

298. Culpabat eos, qui contenderent de rebus quas aſſequi non poſſent, ſive quæ excederent captum eorum. Dicebat etiam de Deo, aut rebus divinis non eſse altercandum: nam in eo crimen eſse. Vbi enim duo ita contenderent, alterutrum de Deo non recte ſentire. Quin ipſum numen ſilentio & conſenſu optime coli aſseverabat. Eidem tribuitur.

299. Caput diſciplinæ † ſilentium: caput omnis intelligentiæ dejectio.

† *Nam qui ſilet pro ſapiente habetur, etiam ſi ſtultus fuerit.*

FINIS.

A 9 1 3/15/811

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIC
Vitto